



11926. V. C. D. 18

✓





ROITSCHOCRENE
Map. seu dig.
SCRUTINIUM
PHYSICO - MEDICO - CHYMICUM
gut von IN QUO ZORON, vii
ACIDULARUM
ROITSCHENSII

**MINERALIA CHYMICE, ET
MECHANICE EXAMINANTUR,**
PROPRIETATES DETEGUNTUR, TANDEMQUE
PER VARIAS CAUTIONES, ANIMADVERSIONES, DE-
CISIONES, ET OBSERVATIONES, MORBIS JUXTA VE-
TERUM RECENTIORUMQUE PRINCIPIA ACCOMMO-
DANTUR CUM LEGITIMA ADHIBENDI METHODO,
ET DIÆTA CONGRUA, QUANDO SCILICET, QUAM
DIU, QUOMODO, ET QUANTUM BIBENDUM? ET
QUA DEMUM RATIONE SYMPTOMATIBUS IN IPSA
POTATIONE SUPERVENIENTIBUS, CHIRURGICE, PHAR-
MACEUTICE, ET DIÆTETICE SUCCR
RENDUM.

AD NORMAM, ET FORMAM
SAC. ROM. IMP. ACADEMÆ E
NATURÆ CURIOSORVM LIBRIO
DIRECTA
LAI BAC
AUTHORE

JOANNE BENEDICTO
GRÜNDEL, PHILOSOPHIÆ
ET MEDICINÆ DOCTORE,
SAC. ROM. IMP. NATURÆ CURIOSORVM
ACADEMICO, INCLYTORVM STYRIÆ STATUVM
PHYSICO, AC MARPURGI PRACTICO.

SCRIBNERI

PHYSICO-MEDICO-CHYMICUM
1760

AGRICULTURALI


ROTI SCHENSIUM

MAGISTERIA CHYMICA ET
 IN CHYMIA EXAMINANTUR
 PROPRIETATES ET BEGINITUR, TANDEM OPO-
 ET ALIAS CANNONIS, ANNIVERSORIS, DE-
 CISIONIS ET DISSOCIATIONIS, MORIS IUXTA AE-
 KHMUS ACCORDANTIAE PRINCIPALI ACCOMMO-
 DANTUR QVI A HABENDI METHODO,
 ET DICTA CODICIA, QVAM SUCCEST. QVAM
 DILIGENTIA, ET QVAM MIRABILIS IN PRA-
 MAGISTERIA, ET TERRITORIUS SUCCEST.

САКРЫМЪ СА
 САКРОМЪ АКАДЕМИКЪ
 КИЯКЪ

АНТОНЪ

СОЛНЕЧНОЕ
 СОЛНЦЕ ПРИРОДЫ
 ET MEDICINE DOCTORE
 SACRO, THEATRE NATURÆ CHIROSORUM
 ACADEMICO, INCULTORVM STUDIIS STATUTVM
 PHYSICO, AC MATERIAI ARCTICO.



CELSISSIMIS,
REVERENDISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, ILLU-
STRISSIMIS, GENEROSISSIMIS,
ET NOBILIBUS INCLYTI
DUCATUS STYRIÆ

STATIBUS.

DOMINIS, DOMINIS
PATRONIS, ET MECOENA-
TIBUS COLENDISSIMIS,
ET GRATIOSISSIMIS.



*Hod disponente su-
premo illo Archiatro, ex
terra innumeri fontes, ex
fontibus saluberrimæ vir-
tutes, ex virtutibus di-
versissimæ infirmorum curæ, felicissimique
morborum triumphi eveniant, Acidula no-*

stræ Roitschenses luculentum perhibent te-
stimonium. Si enim mineralē earum
naturam, utpote rimatu, & miratu dignis-
simam, paulo accuratiū cum chymicis ana-
lysi Spagyricâ rimari, & mirari, aut vires
ex ijs resultantes, tanquam verissimas ægri-
tudinum triumphatrices cum Medicis con-
siderare volumus, habebimus profectò cam-
pum amplissimum, amoenissimum, & plus
quām Elysium. Nolo hic illam mineralia-
rum Symmetriam, quæ in terræ visceribus
exactissimè producta est, encōmiorum parer-
gis extollere, cùm à posteriori abundè liquet,
quòd febrilia miasmata tam subito extin-
guant, dolores atrocissimos demulceant, ob-
structiones profundas referent, excrementa
heterogenea per omnes corporis meatus eli-
minent, & visceribus omnibus vires su-
peraddant validissimas. Porrò si specte-
mus exhibendi methodum, vix ulla inve-
nietur suavior: limpidissimæ enim istæ aci-
dula naribus, & linguae repræsentantur
gratissimæ, dum econtrà cætera remedia
pharmaceutica, ut plurimū sunt odore te-
tra, colore horrida, sapore abominabilia,
verbo: toti naturæ contraria. Auget in-
super

Super energiam earum, quod in summo aestu,
& canicularibus ipsis adhiberi possint, ubi
cetera purgantia omnia proscripta sunt,
imò quod plus est, famem totius curæ tem-
pore, magnopere exaltant, quæ per alia me-
dicamenta ordinario prosternitur. Hinc
per has, & similes prærogativas tantam
jam Roitschenses lymphæ adeptæ sunt esti-
mationem, ut ad eas tanquam ad Sacram
anchoram, & Aesculapij templum tunc con-
fugiatur, quando alias pharmacopolia ob-
mutescunt, & Doctissimi Medici fateri de-
bent artis suæ deliquium. Possent hic pro-
fectò saluberrimæ istæ aquæ longè melius
panacea charactere, aliove nobiliori diplo-
mate insigniri, quam cetera universalia
pharmacæ, vulgo secreta à Naturæ Secreta-
rijs, & Pseudochymicis appellata, quæ sæpe
hyperbolico Sesquipedalium verborum or-
natu in lucem prodeunt, postea autem quid
præter tragedias in corio humano præstent,
vespillonum annales, & tuberosa cæmiteria
consulenda sunt. Sed quid opus pluribus?
Bonum Vinum non indiget hederâ. Ego
ne in hac Roitschocrene pro patria, uti Ci-
cero pro domo sua, agere videar, lingua, &

calamo impono silentium, cùm & fama me
tacente, in vicinis, præsertim Austriacis
oris, alioquin condignis hos latices extollat
laudibus, ac de salutiferis eorum virtutibus
innumera ubique loquatur testimonia.

Has itaque Saluberrimas, & celeberrimas
acidulas, magnas Inlyti hujus Ducatus
delicias, ac Laureatas innumerorum morbo-
rum victrices aquas, quas indefessis labori-
bus scrutinio analytico sapissime subjici, &
valetudinario mundo primus in præsentis
tractatu descripsi, Vobis Celsissimi Re-
verendissimi, Excellentissimi, & Illustris-
simi Styriæ Proceres, in submississimæ de-
votionis tessera offero, dedico, ac consecro,
humillimâ prece efflagitans, ut fætus iste in-
genij mei Medicus, quanquam modicus, be-
nevolis suscipiatur oculis, tantisque sub au-
spicijs clementer foveatur, ac protegatur:
tali enim modo, labores mei, qui pro salute
proximi fuerunt directi, salutem quoque
suam, & exoptatum finem consequentur.
Verum quidem est: Magnos magna de-
cent, ast offerentis affectus sape saepius præ-
ferri solet ipsi munera pretio; sic vilem il-
lum agricolam non exiguum gratiam ade-

ptum

ptum esse, commemorant historiae, qui Cyro
potentissimo Persarum Regi pretiosa mune-
ra offerri videns, cavâ manu manipulum
aqua ex vicino Euphrate haustæ, gratulan-
te vultu obtulit, & exclamavit: VIVE.
Pariter & ego ambabus, gratitudinis vi-
delicet, & obligationis manibus è Roitschen-
sifonte potum aquæ acidae, Vobis Celsissimi
Reverendissimi, Excellentissimi, & Illu-
strissimi Proceres, inter myriades gratu-
lantium, gratulabundus quoquè offero,
omnem insuper felicitatem, & sanitatem
exoptando, & acclamando: VIVITE, &
VALETE. Ita votet

C E L S I S S. R E V E R E N D I S S.
E X C E L L E N T I S S. E T I L L U S T R I S S.
D O M I N A T. V E S T R A R U M.

Dabam Marpurgi Styriæ
7. Novemb. An. 1685.

Joannes Benedictus
Gründel, M. D.

**Catalogus Authorum,
qui in hoc tractatu ci-
tati sunt.**

A.

**Joannes Actuarius,
Georgius Agricula,
Albinus,**

**Joannes Guintherus Andernacus,
Aristoteles,
Casparus Asellius,
Ausonius.**

B.

**Paulus Barbette,
Thomas Bartholinus,
Joannes Beguinus,
Georgius Bollmannus,
Theophilus Bonetus,
Tuchus Brache,
Casparus Bravo de Sobremonte,
Elias Breittenwald/**

Tho-



Thomas Burnetus,
Burrhus.

C.

Guilielmus Clarke,
Elias Rudolphus Camerarius,
Hieronymus Capivaccius,
Hieronymus Cardanus,
Cartesius,
Cassendus,
Isaac Cattierus,
Gualterus Charleton,
Cornelius Celsus,
Ludovicus Combachius,
Cornelius Consentinus,
Joannes Crato à Krafftheim,
Oswaldus Crolius,
Tobias Czaschelius.

D.

Democritus,
Claudius Deodatus,
Kenelmus Digbæus,
Isbrandus à Diemerbroch,
Dioscorides,
Jacobus Wenceslaus Dobrzensky de
nigro ponte,

E, Hen-

• (5) •

T. J. W. M. G. M. C. M. S.

E.

Henricus Ellenberg,

Sigismundus Elsholstius,

Michaël Ettmüllerus,

G. H. R. C. M. C. M. S.

F.

Falconetus,

Joannes Michaël Fehr,

Joannes Fernelius,

Fischerus,

Joannes Raymundus Fortis,

Nicolaus Franchimont à Frankenfeld.

G.

Claudius Galenus,

Joannes Godefredus Geilfusius,

Aullus Gellius,

Goringus,

Conradus Gesnerus,

Petrus Giurius,

Joannes Rudolphus Glauberus,

Eberhardus Gockelius,

Regnerus de Gräff,

Joannes Sigismundus Grassius,

Philippus Grüningius,

Guerinus,

Albertus Güntherus,

H. Ehrn.

¶) o (¶)

H.

Ehrnfridus Hagendorius,
Joannes Hartmannus,
Henricus ab Heer,
Joannes Baptista Helmontius,
Joannes Hellwigius,
Joannes Ferdinandus Hertodt à Zoden-
feldt.

Hippocrates Cous,
Guilielmus Fabricius Hildanus,
Höchstetterus,
Joannes Daniel Horstius,
Georgius Horstius.


I.

Fridericus Ferdinandus Illmer de Wart-
tenberg/
Joannes Helfricus Günden/
Jordanus.

K.

Theodorus Kerkringius,
Athanasius Kircherus,
Andreas Knöphelius,
Kormannus,
Kyperus.

L. Joan-



L.

Joannes Baptista de Lamzwerde,
Adamus à Lebenwaldt.
Fortunius Licetus,
Daniel Ludovici.

M.

Marcellus Malpighius,
Guilielmus Mannagetta,
Marcus Marci,
Dominicus Marchettis,
Martialis,
Petrus Andreas Matthiolus.
Henricus Meibomius,
Hieronymus Mercurialis,
Mesues,
Joannes Michaëlis,
Balthasar Mielbacher,
Mindererus,
Godefridus Moebius,
Valentinus Andreas Mollenbroccius,
Montagnana,
Daniel Georgius Morhofius,
Henricus Mundius,
Hadrianus à Mynsicht.

P. Theo-

• o •

Gnathetius Rofynus P.
Rodenbeckius.

Theophrastus Paracelsus,
Ryccius.

Pawius,

Pecquetus,

Joannes Conradus Pejerius.

Bernardus Penotus.

Pileot.

Felix Platerus.

Vopiscus Fortunatus Plempius.

Plinius.

Joannes David Portzius.

Poterus.

Antonius de Pozzis.

Q.

Franciscus Quenaltus.

Josephus Quercetanus.

R.

Matthias Ramlovius.

Rappius.

Rhases.

Vitus Ridlinus.

Lazarus Riverius.

Wilhelmus den Rhyne.

Henricus Roches.

John

Panthes de Sorensen.

Hesychius Socobius.

Tanagrinus Super.

Nicolaus Scoto.

Sylvestris.

Hesychius Sylvis de Ispog.

Berisius Sylaviae.

Ioannes Swantensius.

Tschermomontanus.

Guer.



Guernerus Rofinccius.

Rondeletius.

Ryetius.

S.

Philippus Jacobus Sachsius à Löwenheim.

Angelus Sala.

Sanctorius Sanctorius.

Sarteus.

Lucas Schroeckius Lucæ Filius.

Joannes Schræderus.

Conradus Victor Schneiderus.

Melchior Sebiziis.

Daniel Sennertus.

Paulus de Sorbait.

Franciscus Stockhamer.

Laurentius Stuber.

Nicolaus Steno.

Sylvaticus.

Franciscus Sylvius de le Boë.

Bernardus Swalve.

Joannes Swammerdammus.

T.

Tabernamontanus.

Gut-

Joan-

Joannes Tackius.
Matthias Tilingius.
Leonardus Türneisserus.

V.
Basilius Valentinus.
Carolus Ubelbacher.

W.
Joannes Baptista Wagner.

Joannes Wallæus.

Warthonius.

Joannes Cornelius Weberus.

Georgius Wolfgangus Wedelius.

Jacobus Wepferus.

Thomas Willis.

Joannes Wolffius.

Z.
Joannes Zwelfferus.



ENCO-



ENCOMIA , ET EPI- STOLÆ CLARISSIMORUM VIRORUM DE ACIDULIS ROITSCHENSIBUS.

PRÆNOBILIS, ET EXCELLENTIS-
SIME DOMINE,

AMice colendissime, olim
discipule clarissime. Accepit tua
Scripta, & tentamina, quæ in
cognoscendis acidularum Roitschensium in
Comitatu Cilliensi ad confinia Croatiae Sita-
rum mineralibus, & contentis impendisti,
unâ cum ingredientibus, & contentis ad-
junctis, & simul transmissis. Certò cona-
tus tui mihi perplacent, sicuti & Domino
Hertodio, Archiatro Cæsareo in laboribus
chymicis egregiè exercitato viro, quam ma-
ximè arridebant, & per omnia approbabat,
adhortando, ut itâ pergas, quod Deus, &
virtus, & tua sapientia, & acidula hæ sint
paritu-

paritur et tibi gloriam immortalem. Ego
vero gaudeo, quod in mea Senectute Sen-
tiam non exiguum consolationem, a me
esse educatum, & doctrinæ nostræ lacte enu-
tritum discipulum, virum, & doctorem,
qui per suam doctissimam Roitschorenem
multis millibus ægrotantibus erit, & conso-
lationi, & saluti.

Duo reperio in hisce acidulis ingredi-
entia, unum spirituale, ac volatile, alterum
corporeum, & magis fixum: Spiritus co-
piosos, qui partim in transportatione ad lo-
ca longinqua avolant, partim remanent, in-
esse rectè, quod egregiè probasti: Nec dubito,
quin hi spiritus sint ob limpiditatem, & cla-
ritatem de natura ætherea, partim partici-
pent de Sale volatili vitrioli, nitri, Sulphu-
ris, salis communis. Imò sunt ipsimet Sales
volatiles horum ingredientium. Corporea
ingredientia etiam rectè eruisti, ubi viden-
tur vitriolum, & nitrum esse præcipua, &
copia alia superare. Sulphur illud est ve-
rum Sulphur, cùm sit phlogiston, & infalli-
biter erit de natura martis, & vitrioli,
ubi enim hæc mineralia, & metalla repe-
riuntur, ibi necesse est, adesse Sulphur, quod

mihi videtur blandum, & maturum, pu-
gium, & pulmonibus valde amicum, quod
ipsum probat experientia in nostris Austria-
cis ægrotantibus, ubi etiam ijs, qui debiles
pulmones habent, prodest, vel saltem non
nocet.

Miror te Sal alkali invenisse, est enim
magna questio apud chymicos, an detur Sal
alkali per naturam, an verò per artem?
Plerique docent, quod solum per artem.
Verùm in curiosis Ephemeridibus Germanicis
invenies, quod Medici ex India occidentali
scribant, se ibi invenire, sal alkali natura-
le; unde tu gaude, quod etiam sis inventor
salis alkalini per naturam.

Non parum miror, quod etiam invenias
terram albam, quam gustavi, que certò cùm
sit, sine omni sapore, odore, colore, præter al-
bedinem eximiam: In hac terra, certò vir-
ginea, latet magnum mysterium; puto ego,
quod per hanc roborentur viscera, & o-
mnia acida in corpore absorbeantur. Ni-
trum rectè statuisti, quia dupliciter appa-
ret, & in substantia, & in floribus; est
amariuscum, & phlogiston. Martem, &
alumen, & vitriolum inesse rectè probas;

imò alumen nihil hic, cùm sit in exigua
quantitate poterit obstare obstructioni vi-
scerum. Cremor acidularum, de quo me-
moras, est de genere Salium cum terra ad-
huc commixtorum.

Ex his igitur, tam fixis, quām volatili-
bus principijs in hisce acidulis contentis col-
ligo, eas valere in omnibus hypochondrio-
rum, pancreatis, mesenterij, & aliorum
viscerum obstructionibus, & in eorundem
intemperie calida, & humida corrigenda,
ac contemperanda : In curatione febrium
diversarum, in ulceribus, & gonorrhæis
abstergendis, & consolidandis, exceptis pul-
monibus actualiter, & jam profundè exul-
ceratis : in affectu, & passione hypochon-
driaca, imò & in febribus continuis, & ma-
lignis methodicè, & jam apparentibus con-
coctionibus adhibitæ ; denique in ijs cunctis
morbis, tam extrinsecè, quām intrinsecè, de-
quibus jam ad me perscripsisti.

Macto igitur sis animo, & prout pro Sa-
lute ægrorum hunc tractatum, quasi rudi-
ter absoluisti, ita perge eum ampliare, &
ad maturitatem perducere, tibique coram
toto mundo, laborum exantlatorum, &

studiorum tuorum compendium, id est bra-
vium honoris, & gloriae immarcessibilis
promereri, quod consequeris, si tam Germani-
cè, quam latine intypum, & lucem edi-
deris: Suadeo etiam, ut facias dedicatio-
nem ad Inclytos Status Styriae, petasquè ad
Collegium Academicum Naturæ Curioso-
rum Germaniæ Suscipi, hi enim statim in
suum gremium te suscipient, & tibi varia
arcana hodie, vel cras communicabunt, &
fies hoc modo illustris, Magnatibus, &
Principibus gratissimus, à quibus erit pre-
mium tuum. Vale & me ama

Viennæ Anno 1685. 28. Junij.

Tuus Semper

Fridericus Ferdinandus Illmer
de & in Warttenberg / Phil.
& Medicinæ Doctor, Pra-
xeos Professor Publicus &
Primarius, Sacrae Cæsareæ
Majestatis Consiliarius; &
Archiater, ac p. t. Rector
Magnificus.

NOBILISSIME
EXCELLENTISSIME,
ET EXPERIENTISSIME DO-
MINE GRÜNDELIE, FAUTOR,
ET COLLEGA PLURIMUM
HONORANDE.

Lubentissimè vidi Synopsin Acidula-
rum Roitschiensium, non tam ab Excel-
lentia tua affabre delineatam, quam à
Magnifico Domino Archiatro Cæsareo Illmero ner-
vose illustratam, & Nobilissimo Lebenwaldo, Aescu-
lapio nostro exactissimo carmine exornatam. At
quantis viris! quibus si solidioris quidpiam adjicere
vellem, vereor, ne Soli meridiano lucem afferre, aut
Regiæ illorum purpuræ laciniam meam assuere velle
viderer; quapropter jam nihil addo aliud, quam
illud antiquorum: Feliciter! Et quod ex effata
jam vena ingenuus animi affectus extorsit, sterile hoc
tetraastichon, quo ipso Excellentiae tuæ pro tam eli-
matissimo tractatu gratulari volui, imò debui, quod
æqui, bonique consulere digneris, rogito. Vive &
Vale.

Cæsaris ut Victor Turcas exercitus armis
Conterit, & trepidos vasta per arva fugat.
Najades in Styria lætâ scaturigine plaudunt,
Et pœana canunt cum Duce Gründelio.
Primus is has salubres ægro tibi porrigit undas,
Ut vivas; Vivat, dic mihi, Gründelius!

Gründelius, Lebewaldt, Styriæ duo lumina Vivant!
Semper & acidulas Roitschia fundat aquas.

Svinfurti 9. Augusti Anno 1685.

Nob. Excell. Tuæ Nominis
Devotus cultor

Joannes Michaël Fehr,
Phil. & Medic. Doctor. Consul,
& Physicus Svinfurten-
sis, Sac. Rom. Imp. Acad-
miæ Naturæ Curiosorum
Præses, dictus: Argonauta.

PRÆNOBILIS EXCEL-
LENTISSIME, AC DOCTIS-
SIME DOMINE, ET COL-
LEGA HONORANDE.

SCrutinium analyticum in Roitscho-
crene physico-hermeticè institutum, at-
tentè, & magnâ animi voluptate perle-
gi, ac mehercule! Herculeos verè labores in hoc do-
ctissimo tuo tractatu reperi: omnia reverè accura-
tè, & amussatim pertractas, obscura reddis lucida,
dubia certa, quæstiones difficultatibus involutas, ve-
ritatis trutinâ examinas, ut itâ omnibus palmam
videaris præripere, qui huic materiæ perscrutandæ,
calamum, & manum admoverunt. Plurimi hoc
satagerunt, sed non sat egerunt. Age igitur Vir
Nobilissime, & felicem Ingenij tui partum, post
exant-

*exantlatos hos labores in lucem ede, tunc enim fiet,
ut non tantum hæc Inclita Provincia, sed & tota
Germania inde emolumentum, tu vero honoris sis
capturus incrementum, & gloriam immortalem.
Sic animitus opto, & hoc metrico elogio gratulor:
Huc ægri! ad fontes properate, ut cervus ad undas,*

Hac est in potâ vera salute salus.

Si mittat Mirach muscas ad Palladis arcem;

Quæ turbant sensus, per volitantquæ caput.

Si cordis thalami febris torrentur ab igne,

Atquæ tuas fauces siccata anhela sitis.

Si tibi splen turget, si bile exæstuat hepar,

Infartum pectus si premit asthma tuum.

Colica si fibras cruciat, renesquæ lapilli,

Duri si ventris flatibus ima tument.

Contractura tuos graviter si sauciatur artus,

Sive dolore vago pesquæ manusquæ tremit.

Hos quos non potuit mœsto de corpore morbos

Docta manus Medici pellere, pellit aqua.

Vitriolum, ferrum, nitrum, sal, sulphur, alumnen,

Terræ, & virgineæ fontibus hisce fluunt.

Gratia Gründelio debetur maxima nostra

Doctis qui scriptis, has celebravit aquas.

Has celebravit aquas, toto celebrabitur orbe

Ipse, & erit Medici gloria magna chori.

Leobij 10. Septemb. An. 1685.

Excellentissimi Domini Authoris

Collega addictissimus

Adamus à Lebenwaldt,

Phil. & Medicinæ Doctor,

comes Palatinus, & Poëta laurea-

tus Cæsareus, Notarius Apostoli-

cus publicus, Sac. Rom. Imp. Col-

legij Naturæ Curiosorum Academi-

cus, Incliti Ducatus Styriæ Physicus.

PRÆNOBILIS, AC EX-
CELLENTISSIME DOMINE
DOCTOR, COLLEGA
COLENDISSIONE.

EX proximis sub 29. Augusti datis litteris, diuturni silentij rationabiles excusationes, scilicet labores hactenus acidulis Roitschensibus impensos percepit. Ego de omnibus hisce gratulor, ac gaudeo, Excellentissimum Dominum Collegam rebus talibus esse occupatum, quæ ante plurimos annos jam dudum valde fuerunt desideratae. Experimenta medica circa has acidulas, viginti, & ultrâ annis à me observata, pauca communicabo: Solum ea, quæ Magnificus Dominus Sorbait Med. pract. tract. 7. cap. 10. adnotaverit, & plurimorum exemplis comprobaverit, confirmare cogor, modum tantum exhibendi prescribam, quo in diversis affectibus usus sum.

Diarrhæa biliosa multis septimanis perdurans, quæ nequè purgantibus cholagogis Rhabarbaratis, iteratis vicibus sumptis, nequè interpositis adstringentibus sisti poterat, acidularum triduanus potus induarum mensurarum quantitate non continua, sed discreta: idest spatio sesqui alterâ horâ, per vices sumptâ, eam penitus sustulit. Erant quidem aliqui Medici, qui etiam in dysenteria ausi sunt easdem acidulas ordinare: ast eventu dispari, & quandoquè fatali, ita ut illas in hoc affectu adhibere nunquam presumpserim, quamvis ratio suadeat in valde bilio-

sis, abstersionis, contemperationis, & evacuationis
gratia, & in pauca quantitate posse concedi.

Magnificus Dominus Doctor Sorbait præ-
titato capite, pulmoniacis ob sulphur solare, &
Raymundus Joannes Fortis Consult. &
respons. med. centur. 2. in diversis pectoris
affectibus, imò in phthisi acidulas propter vitriolum
bibendas suadet. Sed ex Roitschensibus nostris nun-
quam optatum adverti effectum. Et quamvis me
invito, & dissuadente, quidam phthisici eas ad plures
dies sumperint, ij omnes paulò post debitum natura
persolverunt, qui forsitan diutius, etiam annis pluri-
bus vitam protraxissent. Unum solum Asthma-
tum, & biliosum senem nosco, qui plerumque in æ-
state, sepius manè, unum vel alterum cyathum ur-
gente morbo cum fructu bilit, eò quod urinam mo-
veant, & causam antecedentem revellendo per alias
emunctoria evacuent.

In affectu hypochondriaco hoc fonte Medica-
to, per duas, vel tres septimanas in quantitate cir-
citer duarum mensurarum singulis matutinis hausto,
tam in curatione, quam præservatione multum præ-
stiti: in illa pro curæ complemento: in hac præmissis
universalibus præbui.

Colicam biliosam, alijs non proficientibus, ut
plurimum hoc remedio medicinaliter sumpto percu-
ravi.

Duo Magni nominis patientes, prioribus tem-
poribus, nephriticis, alijsque vexabantur indisposi-
tione

tionibus, quibus in estate acidularum potum medicinaliter usurpandum suasi: quo factō quivis horum calculum sat magnum excrevit. Hinc conjicendum, quod calculosis ob vim diureticam, & abstensivam valde conducant, prouti in pluribus alijs expertus sum.

Princeps quidam renūm ulcere laborabat, Medicis multis tentarunt remedijs malum hoc superare: verūm frustrā. Tandem Roitschenibus acidulis medicinaliter per 24. dies adhibitis, & interpositis alijs, ex integro convaluit.

Ab Jetero, præmissis præmittendis, semper per has aquas patientes liberavi, Scirrhosos tumores lievis post febres relictos (confirmatos non intelligo) vel ex alia causa generatos in plurimis, etiam in me metipso ijsdem aquis percuravi.

In febribus intermittentibus, nempe simplici, & duplice tertiana, tam legitima, quam notha, præmissâ phlebotomiâ, & purgatione, in vigore paroxismi, præsente summo calore, & siti, alterius potūs loco dedi acidularum unum vel alterum bonum hauustum cum cremore tartari, continuando per plures paroxismos: taliter plerumquè patientes restitui: quartanarijs autem extra paroxismum medicinaliter potandas ordinavi. In causa & tertiana continua manè solum quandoquè unum cyathum præbui.

In cachexia, & principio ascitis, ex reliquijs febrium causatis, aut per se ex bile, humoribus adustis, & obstructionibus ortis, plurimorum recordor exemplis

exemplorum, ubi ex methodo plurima fuerunt incas-
sum adhibita: Ultimatim Acidulæ Roitschenses per
plures septimanas medicinaliter potæ, palmam re-
portarunt, & patientes totaliter restituerunt.

Qui habent debiles ventriculos, vel ex voto car-
nibus non vescuntur, uti sunt Carthusiani, tum
etiam corpora, quæ magis pituitosis, quam adustis
scatent humoribus, pro acidulis nostris medicinali-
ter hauriendis, experientia dictante, ut plurimum
non quadrant, tales enim plerumque fiunt cachecti-
ci, vel in alios præcipitantur affectus.

Patientibus Calidioribus, oris amaritudine,
vel nausea ex bile, & ventriculi pressione vexatis,
mediâ horâ ante prandium, unum vel alterum bo-
num haustum cum cremore tartari, quovis anni tem-
pore propinavi, continuando per tres aut quatuor
dies, & sic semper optatissimum assecutus sum inten-
tum: Bilis enim taliter fermentum digestionis de-
pravans, educitur, & ab humorum saburra ventri-
culus liberatur: Unde ingesta organum chylifica-
tionis purius nacta, perfectius elaborantur, & fun-
ctiones ejusdem exactius peraguntur.

Per medicinaliter haustas acidulas intelligo,
quando ea quantitas manè (præmissis præmittendis)
bibitur per vices, quæ sit apta cum vel sine vehiculo,
non tantum acidularum potarum quantitatem edu-
cendi, sed etiam plures sedes per modum catharetici
electivè causandi, fit autem diversimodè pro naturæ,
& complexionis varietate: In aliquibus sufficit una-
mensu-

mensura Styriaca: quandoque ad duas & medianas perveni, ita continuando, altius nunquam ascendere presumpsi, et si subinde fortia Hungarorum, & Croatarum corpora, etiam septem mensuras intra duas horas assumptas, & pluribus diebus iteratas, sufferre potuerint.

Convalescentes ex febribus, quorum viscera adhuc precalida existunt, & longo tempore superato jam morbo ex integro restitui non possunt, remedium his acidulis praestantius adhuc non inveni, tum ut medicinaliter sumantur, vel cum vino oligophoro in prandio & cena commiscendæ bibantur. Hæc sunt pro nunc, quæ currenti calamo, Domino Collegæ transcribere volui, occurrent plura, quæ successu temporis mittam! Valeat, & me amare perget, quod vicissim facturus, & perseveraturus.

Gracijs 6. Augusti Anno 1685.

Excellentissimi Domini Collegæ
Paratissimus Servus

Joannes Baptista Wagner,
Phil. & Medic. Doctor, Inclitorum Statuum Styriæ Physicus, &
Græcensis Practicus.

AD

AD PRÆNOBILEM, ET
EXCELLENTISSIMUM DOMINUM
JOANNEM BENEDICTUM GRÜNDL
DEL PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ DOCTO-
rem, Sac. Rom. Imp. Collegij Naturæ Curiosorum
Academicum, quondam Exercitū Cæsarē Medicum Cāmpē-
strem, nunc Inclitorum Styriæ Statuū Physicum Provincia-
lem, ac Marpurgi Practicum, &c. Dum doctissimā suā Roit-
schocrene Jatricum irrigaret orbem, & intima Aci-
dularum arcana dexteret.

ODE.

MAvors Illyricos quum tumulat *Lares*,
Et fævas agitat vasta per æquora
Armis phalanges Ottomanna
Progenies, Styge pejor ipsâ:
Ad fontum liquidos otia *Rivulos*
Captas *Paeonia* mentis acumine,
Scrutando crystalli fluores
Dissipiant, sapiantne labris?
Num fontes acidos lambere quid juvet?
Bacchi nectareus cùm *Styriæ* fluit
Succus, per hortorum virentes
Delicias, nemorumquè scenas.
Est virtus Acidis maxima *Fontibus*;
Virtus *Ingenium*, quæ stimulat *Tuum*
Mentemquè: dignos scriptitare
Artis Apollineæ libellos.
Felices nimium *Sollicitudines*
Quæ *Fundum** Medicis *Fontibus* hauriunt,
His te *Galenum*, *Paeonem*què
A Studijs liquidis probâsti.
Quid tantis supereft nisibus? ut citò
Cum Phœbo adproperent *Pieria Deæ*,

* Gründel.

Et nobiles Sacris coronent

Laureolis Benedicte Fontes.

Cur opto Aonij culminis Incolas,
Jam læto celebrant Flumina carmine,
Nomenquè Cygni gloriosum

Empyreas referunt in oras.

At Vos per placido non sine sibilo

Fontes quid dabitis i Nestoreos dies

Encomiastæ; Ægro salutem

Styriacisque plagis medelam.

Unum præ reliquis posco Favoribus,

Ut magnus videat Jupiter Austriæ

Gustetquè Fontes, & perennet

Imperij decus, & Columna.

Hoc Fulcro auriparuin Principe sæculum,

Cernent Styriacæ culmina, gloriae

*Et te beabit Fundus * undæ*

Quam charitum trias ipsa libat.

Sic Pollax tenui carmine lusitat,

Ut lectum teneat Castora, quem sibi

Regina conjunxit Vienna;

Non adiment Inimica Fata.

Ita canit, ac vovet

Excellentissimo Domino Authorè

quondam in Studijs Amicorum

Intimo

Georgius Ignatius Burian,

ā Firlei Philosophiæ & Medi-

cinæ Doctor, Oppæyiæ Silesiorum

Physicus.

PRÆ-

* Gründel.

PRÆNOBILI EXCELLEN-
TISIMO , ET DOCTISSIMO
DOMINO AUTHORI.

LAUDAT opus, nomenq; suū per clima magistrum
Evehit, ut celsum crescat ad usquè polum.
Sic labor hic tuus est, studio quem gnava paravit,
Conscriptisq; manus, plus valitura Jove.
Fons est istud opus, quo manant pharmaca mundo,
Salsi dum fontis dogmata clara fluunt.
Fontis describit vires, ut scilicet inde
Hauriat infirmus, membraquè sana ferat.
Sic igitur pergas, & quos jam ceperis ausus,
Plures necte novos, ut tua fama volet.
Fama volet, dico, tibi semper personet omnis,
Author ovet semper ! semper opusquè suum :

Varasdini 20. Octob. An. 1685.

Jacobus Ignatius Seiter,
Phil. & Medic. Doctor, Phy-
sicus Varasdinensis.

PRÆNOBILI EXCELLEN-
TISSIMO , ET DOCTISSIMO DO-
MINO AUTHORI. QUONDAM IN
STUDIIS AMICORUM INTIMO.

AUribus ingratus, fuerat sonus ensifer * **Allāh**
Inneptus studio barbarus ille *Tuo*.
Ait aptus, multumquè movens illud Styriæ **ndig**.
Quod porto occulti *fundule* primus edas.

Hoc

* Turcice Allāh.

Hoc petiſt, factum, primus dīulgis in orbem
Roitschocrenarum nobile flumen aquæ.
Ingenijsquè Tui partus jam ut fidera fulgent
Jungis enim doctè pristina facta novis.
Cùm partus habeas felices Patria, gáude :
Excoluit talem sola Minerva virum.
Huic tu lætitiae mécum des signa, triumphes,
Authori crescat laus honor atquè decus.
Virtutis veterum precor ut monimenta sequantur
Felices, salvi, nestorei què dies.
Id precor & voveo fidus maneo què minister
Sis & propitius, qui fero vata mei.

Viennæ 31. Decemb. An. 1685.

Joannes Cygan, Phil.
Magister, & Medicinæ
Candidatus.

Ilbrum Excellentissimi Do-
mini Doctoris Joannis Be-
nediti Gründel cuius titulus est
Roitschocrene, sive de acidu-
lis Roitschensibus totum accur-
ratè perlegi, & in eo nihil con-
tra Fidem, aut bonos mores,
sed

sed omnia benè ac solide ex-
optimis fundamentis inveni.

*Franciscus Stokhamer,
Theor, Med, Professor
Primarius.*

Perlegi & ego Clarissimi Do-
mini Doctoris Gründel in-
titulatum Tractatum Roitscho-
crene, & quia hæc Doctrina non
tantum optimis Neotericorum
(uti multi opinantur) princi-
pijs, sed & Antiquorum Hippo-
craticis nimirum innititur fun-
damentis: Uti passim Hippo-
crates non primis solummodo
qualitatibus esse insistendum,
sed & ad secundas & tertias pro-
grediendum, quibus occultiores
rerum virtutes manifestantur,
quemadmodum pluribus de aci-
do,

do, acri, amaro, falso, &c. declarat. Præsertim autem libro de Aff. p. 83. n. 49. de Acerbo ubi inquit ex his advertant hi, qui vim tantùm affirmant siccandi, humectandi, deniquè calefaciendi & refrigerandi, in primis qualitatibus constare, & primas qualitates morbum adferre atq; salutem.


Itaquè Tractatum hunc tam ab Antiquioribus quàm Recentioribus Medicis celeberrimis commendatum approbo & ego, dignumquè & utilem impressione Judico. Viennæ Austriæ 10. Novembris An. 1685.

Franciscus Ganser, Philosophie
& Medicina Doctor, p.t., Decanus

Quan-

Quandoquè hæc Roitscho-
crene nihil contra Fidem,
principem, & bonos mores, ast
potius utilem valdè & profi-
cuam humano generi Doctri-
nam, atquè tum propriam tum
alienam experientiam contineat,
Typo ut mandetur, & publice-
tur, **C**oncedo Facultatem.

• *Fridericus Ferdinandus Illmer,
de, & in Wartenberg, Phil. & Med.
Doct. Praxios Mdiecæ Rrofessor
primarius, Sac. Cæsar. Regiaeque
Majestatis Consiliarius & Per-
sonæ Medicus, p. t. Universitatis
Viennens. Rector Magnificus.*



PRÆFATIO.

Vām Salutaria Inclytus noster Ducatus Styria fugerat remedia, pro hominis mille valetudinis metamorphosibus alioquin agitabilis, sanitate præsente conservanda, & amissa recuperanda, in montibus ejus, & fontibus abundè elucescit; Montes enim, præterquam, quòd in imis suis visceribus varia metallorum, & mineralium sobole, olim erutâ, & adhuc eruentâ copiosè imprægnati sint, forinsecus etiam tantâ saluberrimarum herbarum varietate, & florum elegantiâ coronantur, & vestiuntur, ut non solum patriæ, sed etiam vicinis Provinciis magnam in morbis afferendis suppeditent opem, & auxilium; patet hoc in radice Rhodia, Doronico, Imperatoria, Lunaria, & pluribus alijs rarioribus, quæ singulis annis in Austriam, & Italiam copiosè evehuntur: Imò spica cel-

tica

tica non solum ad loca vicina, sed etiam in
Arabiam, & Persiam a nobis deportatur.
Sileo hic frugiferam vitem in inferioribus
hujus incliti Ducatus partibus copiosissime
crescentem, cui Basilius Valentinus inter
vegetabilia, sicuti auro inter mineralia, &
homini inter animalia, Regiam dignitatem
attribuit, si itaque nobilissimus iste frutex
Regiam Majestatem coram omnibus vege-
tantium proceribus pleno, & indubitate Ju-
re sibi vendicat, profecto in districtu Lut-
tenbergensi, ejusque vicinia, quocunque ocu-
los tuos verteris, deprehendes omnia, vine-
tis culta, pampinis picta, racemis ornata,
verbo: nihil, nisi Regia. Fontes demum
quod attinet, eos providentissima rerum
Mater natura, adeo facundo partu e terræ
gremio in hisce locis progenerat, ut preter
varias thermas hinc, & inde distributas,
solummodo numerentur in territorio Rackl-
spurgensi quadraginta circiter scaturigines
acida, viribus quidem variantes, si tamen
rite adhibeantur, suis laudibus nunquam
destituenda. Nihilominus omnibus istis
palmam præcipiunt nostræ in hoc Tractatu
Medico describenda acidula, que media

milliarib[us] à Roitschensi Oppido ē fecundissimis terræ uberibus, spontaneo motu prossiliunt, & scaturiunt, tantamquæ jam nactæ sunt in arte Medicâ estimationem, ac adeò jam evaserunt famosæ, ut non solum ē diversis locis languentes, Magnetis instar ad se alliciant, sed etiam ad longinquas Provincias copiosè evehantur, & felicissimas curas ibidem efficiant.

Quemadmodum autem in tota arte Medicina nullum prostet remedium, quod ubique, ac semper in omnibus prorsus corporis humani affectibus posset adhiberi, suumquæ exoptatum effectum in differenter, præstare, ita etiam de acidulis nostris statuendum est, quæ et si innumera mereantur in curandis, & præservandis morbis encomia, charactere tamen medicamenti universalis nondum dotatæ sunt, nequæ omnibus ægritudinibus instar Protei unicuique formæ se accommodantis, uti pessimè vulgus existimat, convenient, sed mira præstant, desperatosquæ morbos, quam citissimè abigunt, si lege artis administrantur, ac econtra præpostere assumptæ præsentes affectus non solum non tollunt, sed etiam graviores indu-

cunt,

cunt, & in universa microcosmi œconomia,
susquè, deque vertunt omnia, prout expe-
rientia docet sepissimè. Hoc autem ut evi-
tetur, & exoptatus effectus languentibus
semper eveniat, necesse est, ut Medicus tam
inpenetrando remedio (quod morbo juxta
methodum medendi è diametro debet esse
contrarium) quam in ipso ægrotantis affe-
ctu cognoscendo maximam adhibeat indu-
striam: hoc enim suadet tristissimum illud,
Medicorum assertum, & ab honorandis fa-
cultatis nostræ Proceribus varijs in locis
satis lucidè expressum: Morbum scilicet
benè cognitum, jam quasi esse curatum;
Illud verò per se est evidens; Imo medica-
menta, quorum natura ignota nobis est,
ægro porrigere, & ita in corio humano lu-
dere, grande foret nefas, & maximus in
medicina barbarismus.

Quare cum rem scire sit per causas sci-
re, ac demonstratio à priori sit præstantissi-
ma, conatus sum mineralia, & principia in-
trinsicæ aquis nostris aciditatem, cæteras-
què virtutes communicantia præsenti ex-
mini tam chymico, quam mechanico subji-
cere, in quo maximam consistere difficulta-

tem, ac rem effe multis erroribus obnoxiam,
omnibusque controversam, unanimiter
conveniunt hydrographi, nihilominus ta-
men, cum constat, Deos laboribus omnia
vendere, rerumque veritatem latere in pu-
teo Democriti, quæ non nisi magnis conati-
bus potest extrahi, ideo nec laboribus, nec
sumptibus parcere volens, varia institui-
tentamina: videlicet admiscui acidulis no-
stris varios pulveres, gallarum, malico-
rij &c. diversos liquores; utpote, syru-
pos, lac, cerevisiam, spiritum vini, bilem
tam flavam, quam porraceam diversorum
animalium: varia vina, tam domestica,
quam exotica: Item spiritus, & salia chy-
mica, volatilia, & fixa, acida, & alkalica.
Coxi insuper in ijs plurima; cum farina
absque ullo addito fermento pinsui panem,
in hyeme eas frigori ad congelandum expo-
sui, gravitatem in bilance cum aqua vul-
gari combinavi, cæterasque feci probas me-
chanicas. Nonnunquam eidem pulveri,
aut liquori ejusdem doseos in multis, &
distinctis vitris, acidulas ratione accidentium
variantes solitus sum conjungere, & qui-
dem in primo vitro acidulas recenter hau-

stas:

itas : in secundo antiquas, per multos men-
ses in vasis clausis reservatas : in tertio
per alembicum destillatas : in quarto in
eucurbita cum capite mortuo relictas : in
quinto expositas aëri libero, è quibus vola-
tilia sponte abiérunt : in sexto illas, quæ in
evaporando apud ignem magnam partium
aquosarum, & spirituosarum jacturam
passæ sunt ; in quibus omnibus mixturis
accuratè attendi, quales metamorphoses, de
hora in horam ratione coloris, saporis, &
odoris natura instituerit, ac perfecerit.
Chymiam etiam tanquam veram rerum na-
turalium perscrutatricem hâc super recon-
sului, sine quâ in cognoscendis naturæ prin-
cipijs, quasi sine Duce hinc & inde per in-
suetas, & cæcas semitas vagantes, in erro-
res ab ripimur absurdissimos ; hinc ut pu-
rum ab impuro in acidulis nostris separa-
rem, concreta naturalia cultro spagyrico
dividerem, & intimos eorum recessus probè
perlustrarem, varias incepi destillationes,
Evaporationes, filtrationes, crystallisatio-
nes, calcinationes, reverberationes, præci-
pitationes, ac alias operationes spagyricas,
quibus contenta mineralia congruè seque-
strata,

strata, modò solvi, modò rursus coagulavi,
Et sic tam in forma liquida, quam solida,
rebus supradictis commiscui, prunisque, ac
candenti ferro adjeci ratione sulphuris, Et
speciei salium insimae penetranda, Et per-
forutanda. Cùm autem unicus actus apud
Dogmaticos exiguam adhuc pariat expe-
rientiam, Et non nisi erroribus plurimis ob-
noxiam, idcirco eadem probæ, Et tentami-
na jam enumerata, sepius à me repetita
sunt, Et tam hyberno, quam aestivo tempore
reiterata. Silentio hic involvo solutiones,
Et plures alias operationes, quas in vitrio-
lis, nitro, alumine, sulphure, Marte, Ve-
nere, alijsque mineralibus, Et metallis in-
stitui, ex quorum analysi principia consti-
tutiva eorum magis mihi patefacta sunt, Et
ad similia in acidulis inquirenda non exi-
guam accenderunt facem.

Præterea cum ab adjunctis argumen-
tari non sit inconveniens, consideravi non
solum incolarum continuò has aquas biben-
tium inclinationem morbificam sed etiam
fæces parietibus trunci undique adhæren-
tes, per quem aquæ nostræ scaturiunt, uti Et
terræ extra fontem virtute allabentium
acidu-

acidularum imprægnatam, neque neglexit
vicinas scaturigines, præsertim illas, quæ in
suâ analysi varia exhibebant mineralia;
similiter minerales lapides, qui in territo-
rio Roitschensi prostant, fortiori Vulcani
torturæ subjici, perscrutando, quid reclusum
haberent in intimis suis penetralibus.

Cum autem Medicus in simplici remedij
speculatione nondum quiescit, sed ulterius
satagit, ut eam practicè in actum reducat,
necessarium esse duxi, ut cognitis jam abun-
dè aquarum nostrarum principijs, delinean-
rem breviter, etiam quomodo illæ morbis,
non solum in genere, sed etiam in specie in-
fima, commodè essent adhibendæ & coap-
tandæ; fateor campum hic adesse latissi-
mum, neque omnes languores à capite usque
ad calcem me potuisse attingere, tales enim
labores in immensum excrecerent tomum;
mens mea solummodò hic fuit illos corporis
humani affectus, de quibus maximæ apud
Authores ratione acidularum prostant con-
troversiae, breviter percurrere, eorumquæ
emolumenta, & damna hisce aquis intro-
ducenda, aliasquæ circumstantias scitu ne-
cessarias apponere. Addidi etiam legiti-
mam

mam methodum, quomodo videlicet; quando, quamdiu, & quantum harum acidularum bibendum cum annexa insuper doctrina, quo pacto symptomatibus in ipsa potatione supervenientibus obviandum, & methodicè medendum sit.

Et hæc sunt Benevole Lector, quæ non solum ex proprio instinctu, quo ad naturam indagationes rapior, sed etiam ex multorum Clarissimorum Virorum adhortatione, in præsentis tractatu perscrutatus sum; si tuo palato non arrideant, cogitarem consistere in materia potulenta, & gustibus, de quibus, ut ajunt, non disputandum est, trahit enim sua quemquè voluptas. Nec minimum, me Criticis omnibus potuisse satisfacere, siquidem glaciem in hisce aquis frangere, easquè speciali tractatu describere, nullus adhuc ante me tentare voluit: primus itaque Roitschocrenen aggressus sum, ubi plurima adhuc deprehendi obscura, & mille difficultatibus obnoxia, conatus tamen mei in hisce endandis, & declarandis, semper eò collimabant, ut nihil statuerem, nisi quod dictaret Ratio, & per autopiam confirmaret

Expe-

Experientia, quibus Medicina, uti vult
Galenus, tanquam pede dupli bene pro-
greditur, uno autem, altero vè lafo clau-
dicat, & titubat.

Magnam mihi insuper opem in hoc
tulerunt multi è Recentioribus per sua
experimenta tam chymica quam Anatо-
mica, præsertim: Illustres, Magnifici, &
Excellentissimi Viri: DD. Fridericus,
Ferdinandus Illmer, de, & in Wartten-
berg, Praxeos Medicæ Professor publi-
cus, ac primarius, Sacræ Cæsareæ Ma-
jestatis Cosiliarius, & Archiater, Regni
Hungariæ Eques, nec non p. t. in Archi-
Athenæo Viennensi Rector Magnificus.
Et D. D. Paulus de Sorbait, Praxeos
Medicæ Professor primarius Emeritus
Sacræ Imperatricis Eleonoræ Personæ
Medicus, Excelsi Regiminis, J. A. Con-
siliarius, Regni Hungariæ Eques, &c.
hi inquam celeberrimi viri, & Praecepto-
res, fautoresquè mei æternâ veneratione
colendi facem prætulerunt, ac sapientiæ
fila porrexerunt, quorum adminiculo ad-
jutus, me ex Cimerijs istis obscuritati-
bus, & labyrinthis errorum ambagi-

bus extricare, tandemque ad ipsam veritatem potui accedere. Pareant Manes Galenici, me nonnunquam à tritisimo veterum tramite deflexisse, & Neotericorum assumpsisse dogmata, & inventa, quibus in erudito hoc saeculo, tam à Sac. Roman. Imperij Collegio Academico naturae curiosorum, quam à Societate Regia Anglicana, Ars Medica plurimum est locupletata, & à mendis plerisque purgata, quotidieque adhuc magis ditatur, & corrigitur. Lubentissime fateor me sub vexillo eorum pugnare, quæ non fidem exhibent omnibus, quæ scripta sunt ab Authoribus, nisi experientia illa confirmet, quæ unicus est Lydius ille lapis, quo eorum veritas exploratur, & cognoscitur; hinc.

Dogmata non puro Paracelsi,
aut scita Galeni,
Verus uterque placet, falsus
uterque tacet.

Amicus

Amicus quidem mihi Galenus , Ami-
cus Aristoteles , semper tamen magis
amica veritas , in qua intellectus hu-
manus aquiescit , suamque inanciscitur
tranquillitatem . Hunc itaque Tracta-
tum Lector Benevole , stylo quidem sim-
plici , candido tamen & sincero con-
scriptum , ac magnis laboribus , &
sumptibus comparatum , tanquam fide-
lis animi tessera accipe , & has sa-
luberrimas aquas linguae , oculisque sua-
vissimas , quas tibi in omnium agro-
tantium salutem ; hic penes ipsam sca-
turiginem propino , curiositatis saltem ,
si non sanitatis gratia , ori tuo admo-
ve , & deliba , neque te deterreat per-
egrinus ille Vates , qui ex merâ bile
acidulis nondum sufficienter dilutâ Ger-
manismum ita increpuit.

Opto tibi multam , nullam tibi
poto salutem ,
Est potior potâ sicca salute
salus.

-A.D.

Ast

Ast disterium istud , si tamen locum in
Styria habeat , potius de Luttenbergensi ,
quam Roitschensi nectare intelligendum
est , tali enim potatione , et si pocula con-
nectantur poculis , sanitas non solum non
perpotatur , sed etiam salva , & incolu-
mis , si ritè instituatur , diu permanet .
Quare pro tua , tuorumquè salute hunc
fontem acidum bibe , & rebibe , in eum
tamen finem semper , ut cedat ad illius ,
qui fons vitæ in sacris paginis dicitur ,
videlicet , Dei ter Optimi Maximi , Na-
turæ naturantis variè in natura natu-
rata ludentis , infinitum hono-
rem , & gloriam .



idis mislou

CA-



CAPUT I.

De Loco & Origine Acidularum Roitschenium.

Ocum, in quo saluberrima hæc Roitschocrene, tanquam tutissimum biliosorum asylum, febricitantium solamen, hypochondriacorum antidotus, & divinum innumerorū ægrotantium remedium, è fæcundissimis terræ uberibus copiose producitur, natura non alium eligere voluit, quàm Inclytum Ducatum Styriam, & quidem in ea Comitatum Cilliensem circa confinia Croatiae, in quo thesaurus iste limpidissimus, & gratissimus, non pede alicujus ferientis Pegasī, more Hippocrenes suscitatus, sed manibus ipsius Altissimi sapientissimè fabricatus, & in subsidium generi humano benignissimè datus est. Si scaturiginem spectes, hæc in media via se se insinuat penes pagum sanctæ Crucis, distantem ab

A

Op-

Oppido Roitschensi medio, & à vicinis
Urbibus Marpурго, & Pettovio præter pro-
pter quatuor milliaribus Germanicis.
Hinc musa Styriaca cecinit:

*Est inter montes acidis fons clarus ab undis,
Non procul à Sancta conditus ille Cruce.
Hinc bilem expellit, nodosaq; crura resolvit,
Atq; trucis Chiragræ vincula sœva fugat.
Corporis obstructos aperit fons iste meatus,
Et caput, expulsâ debilitate levat.
Languenti stomacho vires superaddit, & ultrâ
Insipidos sapidos fons facit iste cibos.
Ergo Castalij fileant jam flumina Pindi,
Et taceant liquidæ Bellerophontis aquæ.
Vos quoq; Styriaci reliqui jam cedite fontes,
Hic sacri latices Nectareiç, fluunt.*

Modus scaturiendi visui est jucundissimus: Limpidissimæ enim istæ aquæ ex concavo salicis trunko, cuius Diameter longitudinem ulnæ Viennensis vix adæquat, gratiōsè prosiliunt, & instar mera- rum bullularum, & granulorum, margaritis haud dissimilium, ad superficiem sursum ebullant, repræsentantes odorem modicè sulphureum, & ferruginosum, quo ad omnia simillimum eidem, qui ex spiritū vitrioli supra scobem, aut lima- turam

turam Martis infusione resultat, naresq;
nostras suaviter ferit, & vellicat.

Ratione suavissimæ suæ aciditatis gu-
stui sunt gratissimæ, præsertim cùm insu-
per more omnium bonorum fontium hâc
gaudeant prærogativa, quòd æstivo tem-
pore, maximè operante Syrio, insigne
conjugatur frigus, quod tamen in hyeme
multùm remittit, & eas à congelatione,
quæ alijs aquis, & rivis tunc temporis
commune est accidens, omnimodè arcet,
& præservat.

Ratione coloris sunt pellucidæ instar
Crystalli, quæ in vitrum fusæ, margaritas
suas, & bullulas tām sursum, quām ad la-
tera copiosè progernerant; Imò vino ex
alto fundendo admixtæ, tam impetuosam
efuscitant effervescentiam, ut prædictæ
bullulæ extra vitrum in forma vaporum
copiosissimè eleventur, sibilum excitent,
linguæq;, & naribus ratione, amabilis
suæ acrimoniae evadant acceptissimæ;
Pluvio tamen cœlo subinde modicè red-
duntur turbidæ, viresq; ab affluentibus
humoribus paulisper diminuuntur, & di-
luuntur; Imò nonnunquam etiam aliquo-
modo obfuscantur, si diu steterint, & va-
sa non satis bene clausa fuerint. Et hæc

de colore naturali, & in ipsa scaturigine ordinario.

Si verò colorum varietatem per artem introducere volumus, erunt acidulæ nostræ instar Protei, plurimis formis accommodabiles: Ego dum varia ipsis in perscrutandis eorum principijs admisi, mira ac visu digna expertus sum, quæ ut etiam tibi constent, ita procedito: v.g. curiosam colorū metamorphosin inchoaturus, accipe syrupum violarum simpli-
cem, & probè cum acidulis agita, tunc peribit cæruleus syrapi color, acidulæ verò erunt viridissimæ, & oculis gratissimæ. Ne autem existimes, nihil ad hanc viriditatem conferre acidulas, sed tan-
tum à syrupo provenire (nam cærulea in magna menstrui quantitate soluta non nunquam solent virescere) sequenti ute-
re methodo: Coque blando igne rosas
rubras exsiccatas in acidulis, tunc deco-
ctum earum non rubedinem ex rosis, sed
viriditatem ex acidulis contrahet, quod
tamen, si diu steterit, verget ad flavedi-
nem.

Si verò has viriditates subitò tollere desideres, instilla ad utrumq; spiritum vi-
trioli, tunc in momento prodibit color
instar

instar rubini rubicundus, tam in decocto
rosarum, quam in acidulis syrupo viola-
rum admixtis. Tandem ut hanc rubedi-
nem denuò afferas, necesse est illud ad-
miscere, quo spiritus vitrioli acidus, ut
potè hujus rubri coloris author, imbel-
lis redditur, & infringitur; hoc autem
præstabunt alkalia, è quibus acida è dia-
metro oppugnantur. Instilla itaq; oleum
Tartari per deliquium vulgò dictum, huic
tinctoræ ex syrupo violarum, acidulis, &
spiritu vitrioli compositæ, & mox magna
exorietur effervescentia, in qua spiritus
vitrioli inermis erit, & tinctora, antè ru-
bicundissima, viriditatem rursus assumet,
Imò intensiorem, quam priùs, si plus olei
Tartari affuderis, quæ tamen denuò per
spiritum vitrioli sufficienter affusum tolli
poterit, & loco hujus rubedo introduci,
& sic procedito alternatim instillando hos
sibi contrarios liquores, ac semper rube-
dinem, & viriditatem induces, & auffe-
res, quod ego ultra decies præstigi; ; ul-
timò tandem post tot repetitas reaffusio-
nes, tantasq; salium velitationes liquot
albescit instar lactis, & præcipitabitur ad
fundum sal enixum, seu Tartarus vitriola-
tus acidulatus, magnum apud chymicos

in obstructionibus viscerum , & internis affectibus remedium.

Pulvis gallarum admistus acidulis præbet tinturam obscuram , & nigricantem , & eò magis intendetur nigredo , quo diutius steterit ; Vitrioli verò aliquot grana addita efficiunt atramentum scriptorum , si autem atro huic liquori instilles spiritum vitrioli , vel sulphuris , in momento peribit omnis nigredo , & tintura nascentur colorem aqueum , ut modicè instar vini antiqui flavescentem . Hæc tamen flavedo immediate , & quidem cum magna ebullitione tollitur , & migrat in colorem obscurè purpureum adjectis aliquot granis Tartari calcinati ; Imò hæc purpura nigredinem pristinam reassumet , si rursus per vitriolum viride succurras , tandemq; si instilles spiritum vitrioli de novo , atramentum hoc iterum flavescat , ut supra dictum est . Et hæc est methodus ludendi in coloribus acidularum separatim sumptis , quos omnes in uno , eodemq; vitro successivè per jam enarrata addita introduxi , ac amicis videndos præbui .

Si verò animus sit , multos colores unâ vice repræsentare , ita institue : Acidulas

dulas supra orbem ligneum affusas , ra-
dijs solaribus expone , à quibus cùm vo-
latilia , & aquosa extracta , & discussa
fuerint , adhærebit orbi pulvis candidus
(terra scilicet cum suis salibus) cuius su-
perficies splendescens colorum varieta-
tem , scilicet ex rubro , flavo , cæruleo ,
viridi , & albo mixtam , repræsentabit o-
culis gratissimam , caudæ pavonis , vel
iridi cælesti simillimam ; vel si mavis si-
militudinem chymicam , idem resultabit
color compositus , qui resultat in auro ,
vel argento , in catillis , & testis ex ci-
neribus , & calcinatis ossibus factis cum
plumbo purificato , ubi in ipso circum-
rotationis , & motionis fine , metallum
in catillo suppeditat fulgur , & splendo-
rem diversicolorem , mox tamen dispa-
rentem , quem Alchymistæ Monetarij ,
& aurifabri nostro idiomate : *Den Blick*
appellare solent . Ego existimo salvo a-
liorum judicio hoc provenire à Sulphu-
re superficiem in acidulis exsiccatis oe-
cupante , quod à multis pro subiecto co-
lorum primario creditur , uti refert *Ma-*
gnificus , & *Clarissimus D: D. Illmer* supra cita-
tus , in suis institutionibus Medicis M. S. cap.
14. de primo inflammabili . Et *Clarissimus Joannes*

Helfricus Jüncken in chymia experimentalis curiosa Mathematica pag. 21. & plures alij Neo-terici.

Tempus, quo acidulæ istæ florere inceperunt, ultra quadraginta annos, quantum à viris fide dignis expiscari potui, vix se extendet; attamen priùs in alio loco quinquaginta circiter passibus à moderna scaturigine distantes scaturiebant, ubi sponteñè disparuerunt, & nulla defacto restant indicia, nisi quòd locus ibi sit adhuc palustris, & oliginosus, in quo terra colorem nigrum, aqua verò supra stagnans flavum, & rubescensem modicè repræsentant, aciditatem tamen nullam in aqua, & luto sentire potui. Hic autem dum disparuerunt, mox in moderna scaturigine se se insinuârunt, scilicet, ut jam dictum, in media via, & loco oliginoſo, ac humido; Quare hæc fontium variatio causa est, quòd Incolæ modernam scaturiem ædificijs lapideis exornare noluerint, timent enim, ne terram fodendo rursus natura in suo opere turbetur, aut nova vena purioris aquæ aperiatur, è qua acicularum virtus, aucto nimirum menstruo, multùm possit diminui, & magna virium jactu-

jactura consequi; adeoq; defacto absq;
ullo tecto, & ædificio, Jovi tam frigi-
do, quām calido semper est patula, &
solummodo sæpè ligneâ munitur ad ac-
cessum prætereuntium pecudum arcen-
dum, ē quibus, dum magna emphasi si-
tibundæ huc irruunt, facile fons turbari
posset, & destrui.

Terra etsi circum circâ ubiq; ferè sit
arenosa, & limosa, hic tamen extra-
truncum est satis pinguis, & nigra, ma-
ximè ubi acidulis præter fluentibus hu-
mectatur, & imprægnatur, ē qua ego
per crebriores coctiones, & filtrationes
extraxi tinturam instar cerevisiæ, ob-
scure flavescentem, quæ postmodum ope
pulveris gallarum multùm obscurata, &
obfuscata fuerat. Mucus verò, & terra
lateribus trunci interiùs adhærens colo-
ris est flavi, & modicè rubescens, non
dissimilis illi, qui subinde foris in super-
ficie acidularum stagnantium deprehen-
ditur.

Cæterūm locus iste frigidus, ventis
perflatus, & situatus ad elevationem
poli, 46. graduum, & 6. minutorum jux-
ta mappam *Vischeri* ac montibus undiq;
circumvallatus, hinc Sol ob circuli ho-

ryzontalis sensibilis parvitatem tardius
 exoritur, citiusq; occidit, nihilominus
 tamen aér, qui multum teste *Plempio* per
 sylvas, & montes corrigitur, est hic sa-
 luberrimus, & suas incolas in præter-
 lapsa tot Provincias devastante conta-
 gione conservavit semper salvos, & in-
 columnes. Imò qui has aquas pro quoti-
 diano usu adhibent, rarissimè ægrotant,
 præsertim ab arthritide, nephritide, fe-
 bribus, vermibus, strumis, colicis, cæ-
 terisq; morbis, qui ex perversa vivendi
 methodo, ut plurimum eveniunt, im-
 munes manent, & longævam adipiscun-
 tur ætatem. Elapsâ tamen æstate anni
 1685. vicini rustici pro ordinario potu
 acidulas, ut antè consueti fuerant, no-
 luerunt bibere, non quidem, quòd vi-
 rium jacturam in ijsdem senserint, sed
 quòd famem per eas, quod omnes po-
 tatores attestantur, adhuc magis auxe-
 rint, quàm pauperculi ob annonæ cari-
 tatem vix potuerunt compescere, adeoq;
 tutiùs visi sunt agere, dum fermentum
 ventriculi acidum præterlabente rivo,
 cæterisq; aquis fontanis diluerunt, quā si
 illud acidulis denuò exaltarent, & appe-
 latione do loz zonu auxiliu titum
 monvi

titum comedendi exinde provocarent,
& exasperarent.

Verùm non solum homines, sed bruta ipsa suum hic habent refugium, quòd unusquisq; videre poterit apud pecora, quæ dum ex pascua ad stabula redeunt, transeundo hic fluentes acidos latices magno gustu absorbent, & sitim sublevant: Idem faciunt aves, & maximè palumbes, quæ copiosè in truncu salicis sedent, æstumq; potando contemperant. Mirum hic, quòd ista animalia magis ad acidulas, quam vicinum rivum confugiant, forsitan specifico naturæ instinctu phantasticè comprehendunt, copiosum sal in his aquis contentum sibi in præservanda valetudine, & evitandis morbis valdè esse congruum, quòd manifestè etiam appareat apud laniones in saginatione pecorum, quorum caro, si sal fossile quotidiè lambunt, multò gratior gustui redditur, & pinguior: hinc etiam evenit, quòd caro bubula Polonica melior sit Hungaricâ, quia ibi sal gemmæ in tanta copia instar ingentium laxorum ē terra effoditur, ut non solum Silesiæ, cæterisq; vicinis Provincijs abundanter suppeditetur, sed etiam ædificia,

ficia, si Friderico Hoffmanno in sua clavi Schröderiana pag. 339. Fides danda est, ex eo exstrui valeant.

Exoptarem hic profectò, ut omnes aquarum mineralium rigorosi censores, qui eas venenorum instar maximo persequuntur odio, huic adessent spectaculo, & ab animalibus irrationalibus, dum rationalium rationes, & experientias parvi faciunt, manifestè docerentur, acidularum adhibitionem non esse tam noxiā, uti sibi pertinaciter persuadent. A brutis autem aliquid discere, non esse absurdum, sed laudabile; clarissimè patet in sacris paginis, à quibus ad formicas mittimur in præceptis æconomicis per eas instruendi; Imò jam dudùm avis ibis clysterem, equus marinus, Venæ sectionem, canis medicamentum vomitorium: aliaq; animantia aliquos medendi modos docuerunt Veteres nostros Medicos, quos vel ipsa invenerunt, vel saltem ab hominibus inventos compårunt, & confirmårunt.



CAPUT II.

*De Difficultate cognoscendi
mineralia in acidulis.*

Quemadmodum Medicus Dogmaticus non aquiescit in simplici morbi cognitione, sed adhuc laborat sedulò, ut ejusdem causæ tam internæ, quam externæ, ulteriori examine adhuc clariùs patefiant, ità equidem non sufficit, acidulas unicuiq; indifferenter præscribere, sed requiritur insuper, ut earum mineralia, & metalla ulteriori scrutinio tam chymico, quam mechanico paulò accuratiùs subjiciantur, quibus tandem cognitis, commoda morbis remedia adoptari poterunt.

Verùm hoc in effectu præstare, & mineralia benè distinguere, eorumq; certam proportionem invenire, hic opus, hic labor: mihi in hoc genere candida Henrici ab Heer. placet confessio, qui de aquis Spadanis cap: 7. candidissimè hæc profert: Cæterùm quâ subterraneorum proportione (acidulæ scilicet) commisceantur, quot quot mihi præscriperunt, ingenuè nescire fatentur, nec sane video, qui accurate sciri posset, quem

quem inter calida, & frigida habeant ordinem; hoc in origine Nili, aut Democritæo in puteo cum veritate latet; nimirum in luce rerum tenui homines caligamus, in mediocri cæcutimus, in majore talpæ sumus, in maxima insanimus, sufficit ergo scire his aquis ferri, sulphuris, calchantri, aliorumq_z fossilium vim inesse, qualitatem tamen primarum proportione manente incertâ, &c.

Modus autem acidularum principia intrinseca cognoscendi ex hoc redditur difficilior, quia raro, aut ferè nunquam una reafossili aquæ sunt imbutæ; præterea mineræ in minutissimas particulas dividuntur, ac adeò cūm ijs miscentur, ut, quid sint, nec lynceis oculis discerni possint. Demùm non exigua etiam hujus difficultatis causa videtur esse diversum Authorum de acidularum, mineris judicium: pro exemplo sint famosissimæ per totam Europam Spadanæ aquæ, in quibus Joannes Bapt. von Helmont præter vitriolum Martis nihil invenerit, cui etiam consentit Cartesius referente Giurio in suo arcano acidularum pag. 55. Henricus ab Heer loco jam citato, vitriolum, Martem, sulphur admittit, Imò addit. cap. 4. pag. 31. quod à Geringo, & Rytio, ochram æs, sulphur, vitriolum, nitrum ope chymiae inventum.

venta fuerint, Clarissimus Giurius in suo are-
cano pag. 6. mineram aluminis, & Martis
animadvertisit, & cum Mars, & vitrio-
lum in acidulis simul stare non possint,
ut pag. 30. fusè docet, eas omni vitriolo
privare satagit.

Similiter diversa Authorum opinio
de mineralibus patet in acidulis Göppingensi-
bus in Wüettenbergensi districtu scaturientibus,
quibus Andernacus, vitriolum, Martem,
Venerem, sulphur, pyritem, & lapidem
calcarium assignat. Cladius Deodatus Panth.
hyg. l. 2. cap. 15. ait eas constare spirituosa
mixtura vitrioli, Martis, Veneris, & mo-
dici sulphuris. Thurneiser de aquis minerali-
bus, & metallicis lib. 5. cap. 7. Ijs tribuit, Ve-
neris, Martis, vitrioli anà partes duas,
bituminis unam partem, aquæ partes se-
ptendecim. Plures de his acidulis contro-
versias vide apud Vitum Riedlin in descriptione
Uüberkingensium aquarum cap. 4. pag. 16.

Si itaq; tanta apud tantos in arte spa-
gyrica summè expertos viros de uno, eo-
demq; fonte exoriatur diversitas, non e-
tiam mirum erit, si & ego cum omnibus,
omnes mecum, quoad Roitschenium mi-
neralia convenire nequeant. Lubens fa-
teor expertissimos Medicos, quos hâc su-
per

per re, tam per litteras, quam ore tenus
consului, in diversas abire sententias; alij
enim vitriolo, Marte, & sulphure, alij
insuper nitro, alij alumine, alij denique
Mercurio, pluribusq; alijs imprægnatas
esse asseruerunt; Ego quid per indefessos,
& reiteratos Vulcani labores, variarumq;
rerum admixtiones perscrutari potuerim,
ex sequentibus patebit.

CAPUT III.

*Quid Evaporatio, destillatio,
aliæquæ operationes Chymicæ in acidulis
detegant?*

Cum in cognoscendis aquarum
mineralium salibus, evaporatio
primùm quasi locum sibi vendi-
cat, ab ea etiam feci exordium, & acce-
pi vitrum amplioris orificij, quod uncias
septem continebat, implevi acidulis re-
centibus, posuiq; ad calorem blandum,
ut solummodo tepescerent, non vero
bulliendo turbarentur, ubi immediate
calefacto nimirum vitro bullulæ, & gra-
nulæ è fundo ad superficiem blandissime
ascendebant, & pelliculam instar telæ
aranearum tenuem post aliquot horas
con-

constituebant, post decem, & plures ho-
ras hæc pellicula jam evasit crassior, co-
hæsitq; ob particulas sulphureas, ac con-
traxit colorem subflauum, & subspiceum.
Infra hanc adhæserunt bullulæ copiosæ,
quæ modo vitro movebantur, ipsa autem
pelliculâ immotâ; Altero die separavi
hanc materiam flauam, quæ à Giurio, alijs-
q; Authoribus passim *sulphur acidularum* di-
citur, habuitque in bilance granum unum.

Notandum hic est, quod sapor aqua-
rum acidus, dum pellicula sulphurea con-
crescit, & spiritus avolant, immediate
diminuatur, tandemq; totaliter ferè
pereat, dum volatilia adhuc magis exha-
lant, sulphur, & salia concrescunt, terra
cum fæcibus ad fundum præcipitatur, &
totum compositum hoc modo dissolvitur.

Ablatâ prædictâ pelliculâ mox alia
rursus apparuit, quæ sensim aucta est, &
multò evasit crassior, nec ita cohæsit uti
præcedens ob defectum sulphuris; colo-
ris fuit candidissimi, & splendentis, nihil
ominus tamen superficies hujus crustæ
non erat tam lœvis, sicuti prior, sed ap-
parebant variæ figuræ cuspidum variè se-
se tangentium, & secantium, quemadmo-
dum in Crystallisatione salium fieri solet;

hinc ego etiam, quia hæc pelicula salina
 cum cremore tartari multum in colore &
 præparandi modo convenit, solitus sum
 vocare eam *Cremorem acidularum* ad diffe-
 rentiam salium aliorum postea detegen-
 dorum. Cæterum moto vitro hic cre-
 mor facilè in frusta abit, & dat strepitum
 supernatando, sicut glacies, si in aqua
 moveatur. Dum jam dimiduum evapo-
 raverat, separavi cremorem, qui ponde-
 ravit grana duo, plus ponderasset, nisi
 aliquot particulæ ad fundum decidissent.
 Tandem totaliter permisi blandissimo ca-
 lone evaporare, & terram albam unâ cum
 sulphuris, & cremoris particulis, quæ
 præter voluntatem meam fundum petie-
 runt, posui ad bilancem, quæ habuit gra-
 na sedecim, dum autem hæc materia ad-
 hoc esset impregnata salibus, ea per co-
 ctionem, filtrationem, & evaporationem
 extraxi, & terram istam reddidi insipi-
 dam, & candidissimam. Has & similes
 probas reiteravi sæpius, in parvis, &
 majoribus vitris, ac vasis terreis, tam in
 hyeme, quam in æstate, tam in radijs so-
 laribus, quam in fornace destillatoria, &
 contenta hæc enumerata semper depre-
 hendi, quamvis quoad quantitatem ali-
 quantulum variaverint. De-

Demum ut acidularum sulphur in pelliculis illis existens scrutinio chymico ulterius examinarem, imposui prunis, & ferro candenti, ubi quidem flamمام aliqualem concepit, non tamen totaliter ob partium terrestrium mixturam, combustum est, sed istae pelliculæ, quæ fuerunt subflavæ mutatæ sunt in colorem partim album, partim nigrum. Prætereà accepi pulverem gallarum, & aliquod granu hujus sulphuris, affudi aquam fontanam, quæ in loco calido præbuerunt tinturam obscuram & parùm nigricantem, hinc colligo hoc sulphur non esse purum, sed salibus vitriolatis adhuc, & partibus terrestribus coinquinatum, quia illa ex colore nigricante, hæ verò ex impedita totali combustione clarè se se manifestant.

Cremor acidularum ob particulas terrestres falsedinem obtundentes saporis non est adeò falsi, ferro candenti, & prunis impositus, nec liqueficit, nec flamمام concipit, nec strepitum notabilem edit, nec fætet, solummodo redditur candidior. In crucibulo, et si diu fortiori igne torqueatur, nihil notatu dignum manifestat, nisi quòd in quantitate diminuatur,

& discussis salibus volatilibus in pulverem vertatur subtilissimum, & candidissimum; cum pulvere gallarum, & aqua communī mixtus præbet tinturam nigriorem, quam præcedens sulphur, quia hic particulæ salinæ magis abundant, quam ibi, à quibus nigredo etiam redditur intensior.

Terra illa alba, & fæces tam per destillationem, quam evaporationem in fundo relictæ, adhuc magnam copiam salis, præsertim fixi continent, quod per coctionem filtrationem, & evaporationem extraxi; Tinctura filtrata fuit coloris obscurè punicei, terra verò abstracto sale evasit insipida, & candidissima. Sal post omnium modum liquoris evaporationē separatum, quod prædictum fuit sapore acris, & aliqualiter lixivioso, posui ad ignitum crucibulum, ubi liquefactum est, habuitque ab initio aliqualem rubedinem, postmodum migravit in colorem subcineritum, diagridio haud dissimilem; tandem cum in crucibulo diurno, & violentiori igne adhuc torqueretur, concrevit in lapideam duritiem, coloris nigrantis, & saporis livixiosi, scorias Martis aliquomodo repræsentantem.

Accepi præterea terram illam albam,

à quā sal nondum separatum fuerat, & more tartari crudi in crucibulo, fortiore igne calcinavi; perfecto opere deprehendi acida omnia evolâsse, & albedinem paulisper nigredine variegatam fuisse. Ex hâc massa extraxi postmodum astusâ aquâ communi per coctionem, & filtrationem, tincturam sale imprægnatam, quæ fuit coloris aquei, modicè tamen ad flavedinem, & viriditatem vergentis, odoris fætidi, & sulphurei, ac saporis aliquomodo similis ei, qui in oleo Tartari per deliquium deprehenditur. Ego huic tincturæ instillavi spiritum vitrioli, & vidi, excitari effervescentiam, quemadmodùm in præparatione Tartari vitriolati fieri solet, cum hac tamen differentia, quòd materia alba non tam citò ad fundum præcipitetur, & quidem in pauciore quantitate. Hinc ex istis probis colligere licet, Roitschenses nostras aquas non solùm sale acido, sed etiam alkali esse præditas, hoc tamen est fixum, & paucioris quantitatis.

Si acidulis cucurbita impleatur, & in balneo maris instituatur destillatio, aqua exit insipida spiritibus mixta, & nullius quasi saporis, adjecto pulvere gallarum.

nihil tingitur , econtrà verò residuæ acidulæ in cucurbita relictæ , si ad siccitatem usq; non destillentur , magis tinguntur , & nigrescunt à gallis , quām acidulæ recentes , quia evaporatis particulis aquosis , & spirituosis , salia fixa redduntur efficaciora , dum pauciori constant menstruo . Cæterum terra alba , & salia eodem modo se manifestant , idemquè in calcinatione præstant , ut supra in evaporatione dictum , solummodò pellicula sulphurea , quam ob alembicum separare non possumus , confunditur cum partibus terrestribus , & sensibus nostris nō deprehenditur .

CAPUT IV.

De ferro in acidulis contento.

Hactenus de acidularum nostrorum contentis in genere , & modo eliciendi satis dictum est , nunc autem , cùm pura mineralia , & salia non sunt , ulterius adhuc inquirendum est , quibus mineris in specie content? & utrum participant de acido , vel alkali . fixo vel volatili , quod in sequentibus declarabitur .

Imprimis ferrum , seu Martem , maximè

ximè secundùm suum vitriolum acidulas ingredi, unanimi ferè calculo præter *Giurium* convenient hydrographi; quod insuper testatur *Clarissimus Hoffmannus* in sua *clavi pharmaceutica* pag. 144. ubi ait: acidularum virtutem medicam dependere à subtilissimis mineralium spiritibus ex actione, & reactione in Martem ortis. Eodem modo consentit magnus nostrarum Roitschensium Aquarum Encomiastes *Magnificus*, ac *Claris. D:D: Paulus de Sorbait*, qui ipsis in sua *praxi medica* editionis ultimæ pag. 534. Etiam vitriolum Martis attribuit. Ut autem Martis præsentia eò clariùs elucescat, veritas ex modis sequentibus petenda est.

Primò ex odore illum arguimus: si enim limaturæ: aut scobi Martis spiritum vitrioli, aut sulphuris guttatum infundas, resultabit, odor acer, *Martialis*, & *Sulphureus*, simillimus eidem, qui nares nostras in ipsa acidularum scaturigine ferit, & vellicat. *Secundò ex sapore*: manifestè hoc patet in acidulis artificialibus, quarum variæ apud *Clarissimum D:D: de Sorbait*, *Hoffmannum*, *Kyperum*, *Kornmannum*, aliosq; dantur descriptiones, in quibus tamen omnibus ferrum principaliter ingreditur; hæ aquæ ab arte, utpote na-

turæ simia productæ, naturalibus quo ad gustum valdè sunt similes, etsi quo ad vires aliquantulùm ab ijs solent deflectere. *Tertiò ex Colore*, nam si pulvis gal- larum cum limatura ferri, aquæ com- muni injiciatur, tinctura evadet obscu- ra, & nigricans, ut solet fieri, si galla- rum pulvis acidulis fuisset commixtus, quæ obscuritas non solùm à vitriolo, ut vitriolo, sed etiam à Marte, vel po- tiùs vitriolo Martis provenit. Præterea fæces alvinæ, eorum, qui acidulas po- tant, sæpè nigrescunt, uti *Helmontius in suo supplemento paradox.* 5. *Giurius in arcano aci- dularū pag. 170.* & *Henricus ab Heer cap. 14.* Alij- què observârunt & ipsem in nostris Roitschenibus aliquoties expertus sum, hæc autem excrementorum nigredo non solùm provenit à vitriolo simpliciter (alias ejusdem spiritus, sal vomitivum, & alia ex eo præparata pharmaca eun- dem colorem inducerent, quod tamen experientiæ contrariatur) sed trahit ori- ginem etiam à ferro, vel, si mavis, à ferri particulis vitriolatis, ut optimè af- firmat *Henricus ab Heer in spadacrene cap. 14.* Et etiam constat, quòd ij, qui medica- menta chalybeata sumunt, excrements
alvi

alvi sæpè habeant nigerrima, Quod non adeò pridem hic quædam fæmina exper- ta est, cui, cùm ad tollendas hepatis obstrunctiones crocum Martis aperitivum præscripseram, adeò fæces denigratæ fuerunt, ut ægra eas videns pro lethali habuisset prognostico, nisi contrarium à me, & veram hujus casûs origi em- docta fuisset. Accedit insuper ratione coloris probandi, quod lutum extra sa- licis truncum, per quem aquæ nostræ fluunt, sit pingue & nigrum, superficies verò ejus nonnunquam uti, & trunci inveniatur subflava, & rubescens, qui uterquè color tam subflavus, seu ferru- ginosus, quàm niger Marti est propriùs.

Quartò ferri præsentia etiam detegi- tur ex hoc, quòd sal acidularum in cru- cibulo, vehementiori igne calcinatum concrescat in lapideam duritiem, nigri- cantem, scorias Martis aliquomodò re- præsentantem, ut supra, capite præce- dente dictum est.

Cæterùm cùm juxta recentiores, vi- triolum nihil aliud sit, nisi sulphureæ falsugi- nis acideæ æratæ aut ferratæ coagulum, neces- sariò acidulæ nostræ vitriolatæ gaude- bunt Marte, cùm Veneris præsentis nul-

Ium se se insinuet indicium. Imò vitrioli & Martis tanta est connexio, ut unum ex altero facilè posset elici; sic vitriolum Martis per fortiorum Vulcani torturam facilè redit in metallum pristinum, teste Hoffmanno in sua clavi pharmaceutica p. 353. & 354. Et contrà ex limatura ferri ope spiritus sulphuris extrahitur vitriolum, quod sàpè probavi, ubi mihi arsis modus præparandi *Vitriolum albicans* ex Marte ad asthma, quem describit Clavis. Gryngius part. 17. cap. 11. pag. 394. in florilegio Galeno-chymico. Adeoq; verissimum videtur esse, quod Sarteus Epistola, ad Giurium asseruit: scilicet nullam unquam extitisse mineralam ferri, aut Item ferrum, cui vitriolum non sit admixtum; & paulò post addit: *Vitriolum aëri humido expositum contrahit colorem ferruginosum*: quod magnum amicitiae nexum abundanter demonstrat.

Deniq; si à posteriori argumentari insuper liceat, unicuiq; constat effectum accidularum medicamentis ex Marte præparatis valdè esse analogum, quod in pilulis Spadanis, ut reliqua taceam, evidenter apparet, quæ ex sale Martis sub dulci componuntur, & loco acidularum spadanarum adhibentur uti refert, citatus Hoffmannus pag. 234.

CA-

CAPUT V.

De Acidularum Vitriolo.

Ouòd vitriolum inter primaria nostrarum aquarum mineralia censemendum sit, varia detegunt; In primis *Sapor* valdè acidus, linguæq; gratissimus præsertim si apud scaturiginem instituatur potatio, à quibus verò mineralibus hoc proveniat, litem decidit *Clarissimus Sebizijs*, qui in tractatu de acidulis posit. 79. dissert. 4. sect. 1. statuit Aciditatem intensiorem à vitriolo, & ejus speciebus, remissiorem ab alumine, adhuc remissiorem à Venere, & infirmissimam à ferro trahere originem. Imò quòd vitriolum, & ejus spiritus, liquores reddunt valdè acidos, & acidulis analogos, jam dudum agnovère Medicis, qui vitriolum *acetum naturæ* teste *Vito Ridlino* cap. 5. in descriptione acidularum *Überkingensium* soliti sunt appellare, & *Theophrastus Paracelsus* de *thermis* tract. 3. cap. 9. fol. 110g. Expressè tradit acorem acidularum provenire à vitriolo, Imò abundè liquet in *Julapijs*, & in ipso lixivio, ex quo vitriolum excoquitur, quod ipsem in calchanthis fodiens Hungariæ nō procul

procul à Pinckenfeldt ante 6. annos gu-
stavi & inveni valdè acidum.

Colores etiam ut potè *nigredo*, *rubedo*,
& *flavedo* vitriolum valdè manifestum fa-
ciunt, nam pulvis gallarum acidulis ad-
mixtus, eas reddit fuscas, & nigrican-
tes, qui color de die in diem intenditur,
& superficies crustosa intensè tan-
dem nigrescit, à qua re autem tinctura
gallarum participet nigredinem, pueris
alphabetarijs jam notum est. Simile
etiam contingit, si sali acidularum, &
pulveri gallarum, aquam fontaneam su-
perfundas, ubi eò magis intenditur ni-
gredo, quò plus salis acceperis.

De *rubedine* jam supradictum est, vi-
delicet, quòd sal acidularum in calcina-
tione modicè rubescat, quòd *Clarissimus*
D:D. Illmer in suis *Institutionibus Medicis. M. S.*
cap. 11. ubi de cognitione aquarum mineralium
fusiùs agit, pro signo diagnostico vitrioli statuit.
Idem ipse met, non solum in vitriolo vul-
gari viridi, sed etiam vitriolo Martis ex-
pertus sum, quæ in calcinatione nanci-
scuntur pro viriditate intensam rubedi-
nem, postmodùm non evanescentem.

Cæterùm quòd ex *flavedine* etiam vi-
triolum possit argui; jam notum est om-
nibus

nibus, quia vitriolum viride aëri humido expositum, ut supradictum colorem flavum, & rubiginosum contrahit, imò idem vitriolum aquâ communi solutum fæces dat flava. Item si in præparatione vitrioli Martis affundatur spiritus sulphuris scobi Martis, & post aliquot dies solvatur in aquâ calidâ, ac filtretur, materia in filtro relicta etiam erit eodem colore tincta, similis luto, quod in trunco, per quem acidulæ nostræ scaturiunt, adhærere solet, quæ omnia præsentiam vitrioli denotant.

Præterea si ab adjunctis argumentum sumere liceat, verissimum est illud hydrographorum statutum: *Ibi scilicet scaturire acidulas, ubi sunt chalcanthifodinae:* quod comprobavit Henricus ab Heer in *descriptione spadana-rum aquarum cap. 6. pag. 50.* ajens: *In locis Spa vicinis prope Franchimontium magnas esse fodinas, è quibus vitriolum, sulphurq; maximâ quantitate eruitur.* Idem verificatur de acidulis penes Pinckenfeldt in Hungaria, quæ in confinijs Austriæ, & Styriæ scaturiunt, acore utrumq; acceptabili præditæ, nonnunquam tamen vomitum, & alia mala producentes; non procul ab hac scaturigine, vitriolum viride in tan-

cā copiā eruitur, ut non solum Viennensis Materialistarum officinæ abundanter eo repleantur, sed etiam in diversas Regiones copiosè evehatur.


Sed quid opus est peregrina adducere testimonia? unusquisq; inveniet Roitschense territorium quo ad vitriolum non sterile; Ego, dum nuper non solum acidulas, sed etiam terram, & fontes vicinos paulò accuratiùs perlustrarem, deprehendi fontem quempiam in pago *Ariaviza*, ab ordinaria acidularum nostrarum scaturigine versùs oppidum Roitsch non multùm distantem, qui fons ruber, eò quod lapides rivuli in superiori superficie, rubidine, & flavedine tincti sint, passim dicitur. Aqua ista ingrati, & modicè acidi saporis est, & in monte ex meris saxis, partim duris, partim friabilibus, diversicoloribus, puta albis, nigris, flavis, & sub rubris scaturit. Lapides isti, uti & flavescent lumen undiq; eos circumdans formalissimum præbent saporem vitriolatum; ulterius coxi eos in aquâ fontanâ, & chartâ bibulâ filtravi, ubi in filtro remansit materia flava similis luto, quod acidularum trunco adhæret, & etiam in præpara-

paratione vitrioli Martis, ut antè dictum, se insinuat; Tinctura verò evasit purpurea, de quā cùm portionem aliquam pulveri gallarum admiserem, tantam adepta est nigredinem, ut eā tanquam atramento scribere potuerim. Reliqua tinctura gallis nondum mixta, dum adhuc magis evaporaret, præbuit ultimò mihi vitriolum partim viride, partim album, in superioribus partibus quidem purum, in fundo tamen alijs corporibus adhuc permixtum, & coinquinatum. Ex quibus unusquisque facilè inferre potest, vitriolum non solum in isto, sed etiam in pluribus alijs fontibus, & maximè in nostrâ scaturagine suum communicare acorem, & pro variâ cæterorum mineralium mestelâ varias etiam vires in ijs producere.

Quæres utrūm vitriolum in acidulis tingat tincturam gallarum, juxta totum suum concretum, an verò juxta spiritum, seu sal in fluorem redactum? R. Etsi non negem, vitriolum uti, alia mineralia, tam juxta partes volatiles, quām fixas, nostrarum acidularum compositionem ingredi, ut postea dicetur fusiùs, nihil omnus tamen niger iste color solummodo à vitriolo in substantia sumpto, nullo mo-

do au-

do autem ab ejus partibus volatilibus, & spirituosis provenit; hujus veritas ad oculum tali modo demonstratur: Si enim tincturæ gallarum flavescenti addas vitriolum viride crudum, seu in substantia, habebis atramentum scriptorium; Si vero spiritum vitrioli eidē tincturæ flavæ guttatum instilles, migrabit color flavus in album & aqueum: Demum si eundem spiritum commisceas atramento vulgari, in momento omni nigredine ablata fiet aquum, Imò calamus spiritu vitrioli intinctus, si supra prius jam scriptos characteres ducatur, ijs etiam nigredinem tollit, attamen cum chartæ corrosione, & perforatione. Præterea idem elucescit in liquore primo, qui in destillatione acicularum, per alembicum descendit, hic dum nullum sal fixum, sed solūm partes aqueas spiritibus volatilibus modicè mixtas continet, & si pulvis gallarum adjiciatur, nihil prorsus tingitur.



CAPUT VI.

*Utrum aquæ Martiales possunt
esse vitriolatae?*

Clarissimus Giurius, insignis mineralium in aquis scrutator, quia in Acidulis Pugensibus multum aluminis invenerit, universaliter postmodum in suo arcano acidularum pag. 241. concludit nullas aquas ferrugineas posse esse simul vitriolatas, neque vitriolatas ferrugineas; Et rursus pag. 136. ait *Impossibile est Vitriolum cum Marte posse subsistere.* Idem statuit pag. 26. quod in ferro nullum Vitriolum contineatur. Ex hoc alibi sæpè repetit. Verùm enim verò non inficias eo aquas Pugenses abundare alumine, quod doctissimis suis experimentis sat clarè detegit, nihilominus tamen argumentationem à particulari ad universale, & omnes acidulas admittere non valeo; Inprimis enim contradicit omnibus omnino hydrographis, qui unanimiter aquis Spadanis tam Vitriolum, quam Martem attribuerunt, hunc quidem ipsis admittit, illud verò totaliter denegat. Præterea contradicit omnibus Chymicis, qui Pharmacis suis Spagy-

ricis optimè exaltârunt Rempubl : Medicam, hi universaliter, Vitriolum cum Marte subsistere posse, adstruunt, imò illud ex minera Martis aut Veneris generari statuunt, sic Clarissimus Hoffmannus in *clavi pharmaceutica* pag. 353. ait. *Vitriolum est Corpus minerale solutum ex spiritu sulphuris acido, corpore Martiali, aut Venereo mestallino, aqua Elementari, & terra quadam minerali compositum.* Clarissimus ac Magnificus D. D. Illmer in *Institutionibus Medicis cap. 15. de sale, seu primo solubili Vitriolum cum ingeniosissimo Kirchero ità describit: Quòd sit Corpus minrale in terræ Visceribus ex spiritu sulphureo, aqua, & minera, Veneris aut Martis, aut utriusque simul permixti compositum, unde à spiritu sulphureo habet suam acrimoniam, claritatem verò, fluiditatemque ab aqua, & à minera æris aut Martis colorem, saporemque obtinet. Nonnulli illud vocant Sulphureæ salsuginis acidæ ferratae, aut æratae coagulum &c. Idem sentit Angelus sala tract.*
2. Anatom. Vitrioli. & alij.

Sed quid opus Authoritatibus? ipsa experientia tanquā optima veritatis. Magistra manifestè docet, Vitriolum cum Marte posse subsistere, & illud in omni ferro includi, quod postmodum arte chymica per spiritum vitrioli, vel fulphu-

phuris potest separari, & extrahi. Ad hoc respondet *Giurius*, materiam istam ex ferro elicitar, & vulgo à Chymicis vitriolum Martis dictam, non esse propriè vitriolum, unde varia ipsi assignat nomina: videlicet pag. 26. modò, eam vocat *sal ferri*, modò *duorum salium conjunctio-*
nem, modò *spiritum vitrioli*, *Martis admixtio-*
ne recorporificatum; sed vocetur quomodo cunq; mihi perinde est, qui magis incumbo ad rerum naturas perscrutandas, quam ad quæstiones de nomine movendas, conatus mei in hoc casu semper eò collimant, ut in certiorem, & evidentiorrem devenirem notitiam, utrum hoc vitriolum Martis, seu spiritus vitrioli, admixtione Martis recorporificatus, & coagulatus, retineat adhuc naturam sui menstrui, seu spiritus, cuius ope extractum est; ut vult Author, an verò participet ipsam substantiam vitrioli in ferro contenti, hinc varias, sæpiusq; reiteratas operationes, & scrutinia institui, in quibus sequentia edoctus sum.

Primo si scobi ferri affundatur spiritus vitrioli, materia flava, & albicans extrahitur, quæ si aquâ dulci dissolvatur, filtretur, & crystallisetur, dabit crystal-

los partim subflavas, partim virides ipsifissimam vitrioli naturam denotantes, unde *Clarissimus Ettmüllerus* in chimia rationali lib. 1. cap. 10 p. 23. ait, hoc vitriolum artificiale adeò esse simile naturali in omnibus ferè, ut ovum ovo non sit similius. Ne autem mihi obijci posset à Giurio, viriditatem provenire à spiritu vitrioli, non autem à vitriolo ferri, accepi locò spiritū vitrioli, spiritum sulphuris, & eundem colorem crystallorum reperi ubi viriditas, nec à spiritu, neq; à sulphure, quā utrumq; caret, provenire potuit. Quæro insuper, unde veniat? quod Vitriolum veneris, ope ejusdem spiritū sulphuris ex cupro extractum (uti ipso probavi) sit cæruleum? unusquisq; sibi profectò facile persuadet, spiritum istum ratione coloris nihil conferre, sed verissimum esse, quod *Clarissimus Hoffmannus* citatus pag. 354. doctissimè statuit, vitriolum scilicet cæruleum participare de cupro, & viride esse de ferri prosapia.

Secundò vitriolum Martis tali modo extractum, si tinturæ gallarum injiciatur, eam mutat in atramentum scriptorium, unde concludo, hanc nigredinem à so-

â solo vitriolo in ferro contento profici, & nullo modo â spiritu vitrioli, aut sulphuris, nam si hi spiritus instillentur tincturæ gallarum, magis adhuc albescit, Imò si atramento vulgari instillentur, nigredo penitus auffertur, & liquor flavescit, vel albescit, atramenti natura ex integro spoliatus.

Tertiò vitriolum Martis ratione saporis, uti & rubedinis, si calcinetur, cum vitriolo communi convenit, omitto cætera experimenta, siquidem hæc & in superiori capite allatæ rationes evidenter demonstrant vitriolum ex ferro extractum propriè esse vitriolum, tandem què aquas Martiales simul posse esse vitriolatas. Cæterùm Giurius in suo arcano acidularum cap. 4. & alibi expressè docet: *Vitriolum adeo ferro adversari, ut continuò cum illo prælietur illud corrodendo, & corrumpendo, quousque in aliam speciem coegerit.* Verùm quid tum? Iubens admitto, quòd vitriolum purum, & solutum, vel ejus spiritus Martem corrodat, proptereà tamen non parcit Veneri, patet hoc manifestè in chalcanthifodinis Hungaricis, ubi lixivium vitriolo viridi imprægnatum solummodo evaporare solet, in ahenis, &

vasis plumbeis, quia teste experientiâ omnia vasa tam cuprea, quam ferrea corrumpuntur ab acrimonia vitriolata exceptis solis plumbeis. Denique notandum est, quod vitriolum, dum in terræ visceribus in Martem agit, adhuc sit impurum, heterogeneum, & pluribus rebus terrestribus permixtum, unde acrimonia ejus adeò obtunditur, & activitas diminuitur, ut mineram ferri alijs impuritatibus etiam coquinatam, non statim possit corrumpere, corrodere, ac in Venerem aliamq; substantiam metallicam permutare.

Prætereà si verum esset, quod cum vitriolo Mars ideo non possit stare, quia corroderetur, sequeretur etiam, quod neq; cum Alumine possit persistere, quia ab hoc etiam corroditur, quod manifestè esset contra *Giurium*; hoc clarè demonstrat Clarissimus *Grülingius* in suo *florilegio Hippocratico - Galeno - chymico part. 19.* de *specificis hepaticis*, qui pro croco Martis aperitivo pér corrosiva extrahendo, non solum adhibet spiritum vitrioli, sed etiam acetum destillatum, oleum, vel spiritum Tartari, spiritum Nitri, Aluminis, salis Armoniaci, &c. Et hæc de novâ hæc quæ-

quæstione , veterum hydrographorum statuta universaliter tollente , pro interim sufficient ; qui fusiores de hâc re controversias exoptat , perlegat totum *arcanum acidularum Giury*, quod rationes pro , & contra , variè à Clarissimis viris D.D. *Sarteo* , *Cattiero* , *Falconeto* , *Guerino* , alijsq; Medicis Parisiensibus exagitatas , abundè suppeditabit.

CAPUT VII.

De Sulphure Acidularum.

Qui acidulis vitriolum non dengant , passim etiam sulphur ijs admittunt , siquidem tanta horum mineralium est inter se connexio , ut Clarissimus *Hoffmannus* in suâ clavi *Pharmaceuticâ* pag. 353. Vitriolum nihil aliud nisi prolem sulphuris appellare ausus fuerit , quam affinitatem etiam confirmat *Matthiolus* comment. in lib. 5. *Dioscorid.* cap. 114. qui ait : *Calchanthi venam* , dum foditur fætidum , & graveolentem instar sulphuris eructare halitum . Clariùs adhuc patet ex hoc , dum ex uno , eodemq; lapide utrumq; minerale eruitur , quod ipse vidi in chal-

canthifodinis Hungaricis, ubi lapides, si in vasis terreis fortiori igne torqueantur, emittunt suum sulphur copiosum, & postmodum destitutis particulis sulphuris nigrescunt, ac caput mortuum constituant, quæ massa nigra, si in magno acervo aëri exponitur, & ita varijs cæli mutationibus per quatuor, aut quinque annos exposita permanet, dat colorem ex rubedine, flavedine, nigredine, & albedine variegatum, qui vitrioli præsentiam denotat. Quare ex hâc massâ in vasibz varijs per affusam aquam calidam vitriolum extrahunt; & postmodum sufficiente aquæ quantitate in aheno plumbeo evaporatâ redigunt in crystallos coloris viridissimi.

Unde autem hoc proveniat, quod vitriolum tali modo augeatur, utrum videlicet hoc præstet, ex terra vicinas vitriolatas particulæ attrahendo, an verò assumendo, & figendo sal volatile acidum aëreum, quod multi volunt Neoterici, mihi perinde est, neque litem, ne forsitan offenderem manes Galenicos, volo decidere, Interim amplector sententiam, utpotè probabilissimam, quam de hâc materia profert *Clarissimus Adamus à Leben-*

Lebenwaldt, Phil. & Med. Doctor, Comes Palatinus, & Poëta Laureatus Cæsareus, Notarius Apostol. pub. S. R. I. Colleg. Nat. curios. Academicus, Inlyti hujus Ducatus Styriae Physicus, & Practicus famigeratissimus Fautor ac Amicus meus Dilectissimus, Hic, inquam, existimat, hoc provenire, quòd aér tanquam menstruum universale penetrando, spiritu nitro-aëreo resolvat particulas vitriolicas intimius latentes, & in apricum ducat. Hæc autem resolutio, & deductio tempore indiget, nam mihi pro certo horum mineralium præparatores affirmârunt caput mortuum tale, si immediatè post separatum sulphur, aquâ diluatur, pro extrahendo vitriolo, nihil, aut parùm suppeditare, econtrà plurimum, si annis aliquot Jovi pluvio objecrum fuerit.

A posteriori sulphuris præsentia cognoscitur, quòd pellicula illa subflava ab acidulis separata, & à *Giurio*, cæterisq; hydrographis passim sulphur acidularum dicta, concipiat aliqualemflammam, si ferro candenti imponatur, uti jam suprà facta est mentio, quod à *Clarissimo D: D. Illmer in suis Institutionibus Medicis cap. 14. de-*

primo inflammabili, inter cætera signa dia-
gnostica sulphuris adnumeratur.

Præterea, cùm Beguinus in suo tyrocinio Chymico lib. 1. cap. 2. pag. 39. Sulphur pro odorum, tum gratorum, tum ingratorum fonte, & origine habeat, ejus præsentia tali modo multùm innotescit, si enim in ipsa scaturagine acidulæ spiritibus, & bullulis adhuc turgidæ, naribus admoveantur, resultabit odor non adeò ingratus, modicè sulphureus, & simillimus eidem, qui ex scobe, aut limatura Martis, spiritu Vitrioli, aut Sulphuris irrorata solet provenire. Si verò contingat, quòd nostræ aquæ, dum stent in loco putrido, aut ultra annum reserventur, aut læpiùs vasa aperiantur, incipient corrumpi, & nigrescant, quòd quidem rarò solet fieri, tunc fætor exoritur, uti in præparatione lactis Sulphuris, prorsus Sulphureus, & nisi pituitâ viscidâ nares totaliter oblinitæ essent, ab omnibus perceptibilis. Idem quoquè contingit, dum sal acidularum in crucibulo calcinatur, & postmodùm aquâ communi dissolvitur, ubi tintura imprægnabitur simili memphitide; Imò refert Clarissimus Ramlovius in descriptione acidularum Wildungensium pag. 197. Quòd ex-

excrementa alvi in ijs, qui præfatas aquas biberunt, absoluta cura per aliquot dies fuerint fætore Sulphureo prædita.

Si ex coloribus aliquid inferre liceret, quorum radicale fundamentum, & principium, Sulphur à Joanne Juncken in sua *Chymia experimentali curiosa* pag. 21. Cæterisque recentioribus habetur, multa forent dicenda, præsertim, si acidulæ in orbe ligneo per radios solares exsiccentur, ubi tanta exoritur colorum varietas, ut caudam pavonum repræsentent visui gratissimam, prouti jam suprà capite primo facta est mentio.

Interim pro coronide hoc notandum, quod fontes acidi, chalcanthifodinæ, & minera Sulphuris plerumque sint in locis conterminis, quod Henricus ab Heer in sua *spadacrene* cap. 6. pag. 50. Clarè testatur, & etiam in præparatione Sulphuris, & Vitrioli Hungarici appareat, & ipse met oculatus testis sum in pago Ariaviza, non multum à scaturagine nostra distante, ubi penes fontem rubrum, de quo suprà capite de Vitriolo dictum, dantur lapides variegati, qui, dum apud fabrum in crucibulo calimarem, formalissimum dederunt fætorem Sulphureum, ut omnes circumstan-

stantes olfacerent. Unde ad oculum jam patet, territorium Roitschense, Vintiolo, Sulphure, & Marte esse sat copiose imprægnatum, quæ in terræ visceribus per varias mixturas, & actiones, transfluentes aquas mineralibus, suis dotibus exaltant, acidulasque ad tam enormes morbos debellandos producunt validissimas, & saluberimas.

C A P U T VIII.

De nitro Acidularum Roitschenstum.

UT ulteriori scrutinio adhuc indagarem, utrum aquæ nostræ insuper essent imprægnatae nitro, usus sum sequenti methodo: Implevi magnum tigillum culmarium acidulis, & ad evaporandum blando igni exposui, reaffundendo semper de novo dictas aquas, donec multæ mensuræ per modum vaporis exhalaverint; Postmodùm cùm terra in fundo copiose appareret, & superflua acidularum quantitas nondum evaporata, salsedine notabili imbuetur, tigillum ipsum, unà cum his conten-

tis

tis posui ad locum humidum, in quo, dum per unam septimanam steterit, sal nitrosum per tigilli poros ad exteriorem superficiem transivit, & flores nitri constituit, simili modo, quo *Hadrianus à Mynsicht* eorundem florū præparationem docuit in suo *Armamentario Medico-Chymico* sect. i. pag. 26. & vulgo in officiis pharmaceuticis practicatur.

Hunc pulverem candidum, seu flores nitri, pede leporino à tigilli superficie abstensi, varijsque probis ulterius adhuc examinavi, & deprehendi, quod ratione saporis, prædominium nitri manifestè patetieret, quod mecum plures alij, quibus gustandos præbui, experti sunt. Dum prunis, & ferro ignito injicerem, crepabat instar nitri vulgaris, non tamen tantas producebat detonationes uti ordinariò fieri solet, quia hæc acidularum nitrositas, alijs salibus adhuc coinquinata, & permixta erat. Veteriorem probam adhuc institui affundendo aquam calidam super hunc pulverem nitrosum à sordibus tigilli nondum sufficienter sequestratum, quam unā cum nitro soluto filtravi, & sufficiente quantitate evaporatā pro Crystallisatione aëre frigido exposui, quæ præ-

præbuit crystallos figurâ oblongâ, & pyramidali, sapore nitroso, quamvis non puro, sed alijs salibus adhuc admixto notabiliter præditos; Nihilominus tamen nitrosus iste sapor in dictis crystallis, aëri humido aliquamdiu expositis, plurimùm fuit diminutus, alijs salibus Dominium denuò reassumentibus.

Simile quid etiam appareat, si acidularum mensuræ duæ evaporent blando calore usquè ad uncias quatuor aut quinque, & postmodùm à terra decandatae ponantur ad locum siccum, ut absquè ullo ignis, aut solis calore sponte exscentur, tunc tandem in fundo se repræsentabunt salia duplicitis generis, acida, & alkalia. Acida sunt alba, nitrosa, & vitriolata, figuræ cubicæ, & saporis nitrosi; Alkalia verò crystallis undiquè adhærentia coloris sunt subflavi, saporis lixiviosi, & nullâ figurâ prædita, uti optimè observat Joann: Helfricus Jüncken in suo Medico præsenti sæculo accommodando pag. 23. Qui figuræ solummodo acidis tribuit, nullas autem notabiles alkalicis. Quòd autem crystalli non fuerint figuræ oblongæ, & pyramidalis, uti suprà flores nitri soluti, & rursus crystallisati, & passim nitrum puri-

purificatum facere solet, ideo provenire
judico, quia hoc nitrum adhuc est vitrio-
lo, alumine, & sale communi coinquina-
tum, quæ figuræ habent cubicæ, & non
pyramidales. Cæterùm in his crystallis
nitrum habuit prædominium, quod ex
sapore, & etiam si prunis iniijcerem, cla-
rè expertus sum.

Ultimò tandem nitri præsentia mani-
festata est, dum intenso hyemali frigori
acidulas exponerem, curioseque inda-
garem, utrùm in glaciei centro, spirituo-
sa, aut aleosa substantia se se insinuaret,
quemadmodùm in vino ex integro con-
gelato fieri solet; ubi quidem in hoc ge-
nere intentum meum non assecutus sum,
attamen deprehendi, quod in acidularum
congelatarum superiori superficiè adhæ-
serit pulvis candidissimus, & subtilis sa-
poris aliqualiter nitroſi, & falsi.

Cæterùm magnam nitri cum ferro
connexionem testantur Clarissimus Hoff-
mannus in suâ clavi pharmaceutica pag. 342. &
Joann. Jüncken in sua chymia experimentalis pag.
215. Qui suum fermentum artificiale ni-
trificum, ex scorijs ferri, sale communi,
& jumentorum excrementis faciunt; Imò
addunt, quod ille totum terrarum orbem
exi-

exiguis posset peragrare sumptibus, modo hunc conficiendi modum noscat, & sciat terræ communis portionem aliquam, tali artificiali fermento imprægnare, nitrum posteā excoquere, terramque aëri iterum exponere.

CAPUT IX.

De alumine, & sale Communis nostrarum aquarum.

Qui cum Giurio vitriolum ab aquis Martialibus omnimodè excludent, locò illius solent alumen substituere, universaliter postmodùm inferentes: Eodem modo alumen convenire Marti, quo vitriolum Veneri, ac omnes aquas Martiales esse solummodo aluminosas, nullo autem modo vitriolatas. Unde quæritur hic, quid de acidulis nostris Roitschensibus cendum sit? R. Alumen in ijs non obtinere prædominium, quamvis copioso ferro, ut superiùs dictum imprægnatæ sint; Nam omnes aquæ, in quibus alumen prævalet, injecto pulvere gallarū modicè albescunt, quod Giurius ipse in suo *Arcano acidularum*

pag. 13. 59. & 60. Per acidulas Pugenses sa-
tis approbat, quas aluminosas appellat,
dum admixto hoc pulvere protinus exhi-
bent tincturam, & sedimentum album,
non aliter, quam si alumini in aqua com-
muni soluto dictæ gallæ fuissent additæ;
Unde nemo aquis nostris attribuere po-
test prædominium aluminis, si quidem gal-
lis admixtæ liquorem præbent obfuscata-
tum, & nigricantem, superficiemque
crustosam intensâ nigredine præditam,
quæ potius vitrioli, quam aluminis ener-
giam denotant.

Præterea omnibus notum est,alu-
men in adstringendo maximarum esse vi-
rium, quod etiam *Hoffmannus in suâ clavi,*
Schræderiana pag. 348. ipsi *sperniolæ Crollij* so-
let præferre, hinc non immerito pulvis
ad hæmorrhagiam narium, etiam despe-
ratissimam recommendatur à Clarissimo
D. D. Hertod. *Tartaromastig.* part. I. cap. 4.
pag. 27. & in *Ephemerid. Medico-physicis. Anni*
1. observat. 24. *pag. 90.* qui ex lacca piæto-
rum, & alumine componitur. Idem te-
statur liquor stipticus *Weberi*, limentum ad va-
cillationem dentium *Michaëlis*, spiritus *Aluminis*
magistratus Schræderi, & plura alia. Imò quid
hoc minerale præstet in constipanda dy-

fenteria, & diarrhæa, sistendis immodi-
cis sudoribus per indusum eo intinctum,
varijsq; Sophisticationibus per balneum
practicandis, barbitonforibus, ac ipsis ve-
tulis medicatricibus haud ignotum est.
Unde si Alumen in nostris acidulis præ-
valeret, necessariò eæ deberent adstrin-
gere, quod tamen est contra omnium
practicorum experientiam. Nihilominus
tamen, etsi prædominium huic minerali
non concedatur, absoltè ab aquis no-
stris non excludendum est, sed in pau-
ca quantitate admittendum, quod ex se-
quentibus constat.

Imprimis enim *Georgius Agricola lib. 2.*
de re metallica pag. 465. Alumen, & vitriolum
succos cognatos vocat, eosq; ex uno lapide
posse confici; Imò addit: *Omne vitriolum*
continere Alumen, ac docet modum, quo
unum altero per aquam, & urinam pue-
ri posset sequestrari, & separari. Claris-
simus Ettmüller. in sua chymia rationali lib. 1. cap.
11. pag. 32. Etiam alumen vitriolo cognat-
tum dicit, nam sicut vitriolum ex spi-
ritu acido sulphuris, & metallo corroso,
itâ alumen ex eodem constat spirituaci-
do sulphuris, & petroso terreo corpore
â spiritu sulphuris soluto, ac in alumino-

nōsam pellucidam substantiam unito. Ad-
dit postea modum præparandi alumē.
artificiale, scilicet, recipit spiritum sul-
phuris per campanam paratum, solvitq;
in eo terram sigillatam, & protinus con-
crescit concretum aluminosum, si verò
dissolutio instituatur spiritu Martis fit vi-
triolum.

Similiter statuit Beguinus, qui in suo ty-
rocinio - chymico lib. 2. cap. 4. pag. 136. ait Tres
vulgò habentur vitrioli species, viridis; alba, cæ-
rulea, participantes de natura salium, alumini-
num, sulphurum, secundū magis & minus, pri-
ma quidem magis de sale, altera de alumine, ter-
tia de sulphure. His consentit Clarissimus
Cattierus Monspeliensis practicus Celeberri-
mus in Epistola secunda ad Giurium ità asse-
rens: Dum oleum vitrioli per destillatio-
nem extrahitur, odorem aluminis spirat. Posteā
addit: Ex alumine naturali, & gleboſo resu-
dat alumē ſcissile, ut & vitriolum pariter, atq;
ambo in eadem matrice generantur, & conser-
vantur, quæ eſt pyrites, ē cuius ſolutione. utrum-
què educitur. Itaq;₃ hæc mineralia poſſumus fra-
tres appellare inter ſe ſimiles, parumq;₃ diſcre-
pantes. Hæc ille.

Præterea aluminis præſentia ab ad-
unctis, & à posteriori aliqualiter dete-
gitur,

gitur, quia vicinus fons in Pago Ariavia-
za de quo suprà dictum, lapides habet
vitriolo, & modico alumine imbutos,
quod ex sapore cognoscitur.

Si manus laventur in vitriolo, vel
alumine, aqua vulgari, soluto, fient aspe-
ræ, quemadmodum si nostris acidulis
fuissent lotæ. Item si spiritus vini com-
misceatur his acidulis, liquor fiet instar
seri lactis subalbus, simillimus eidem, qui
prodit, si pulvis aluminis spiritui vini in-
spergatur, & commisceatur. Et hæc de
alumine.

Sal commune quod attinet, ex plu-
rimis evidenter ejus arguitur præsentia.
In primis Clarissimus, ac Magnificus D:
D: de Sorbait, *in suis observationibus rarioribus*
cap. 10. pag. 534. Roitschenses nostras a-
quas potius vult appellare *Salcidulas*, quām
acidulas, sine dubio à sale communi per
antonomasiam sic dicto, Etymologiam
trahendo. Hoc etiam comprobat sapor
falsus, qui apparet in his aquis, dum
blando igni ad evaporandum exponun-
tur.

Denotat salem communem insuper
magna salis, & nitri connexio; Claris-
simus Adamus à Lebenwaldt, supra citatus,
in-


in litteris suis ad me datis ait: *Rarò sunt salia sine nitro, & raro nitrum sine sale. Imò vero Spagyrico omnia salia in nitrum convertere, non est difficile. Probavi hoc aliquoties in sale tartari, & sale absynthij, &c.* Mihi D. D. Breitenwaldt, insignis chymicus gustandum etiam dedit nitrum absynthiacum, quod ex solo absynthio extractum fuisse asseruit.

Præterea ab effectibus cognoscitur, nam quod ventriculum roborent, coctionem ciborum promoteant, appetitum conservent, excrementa ex corpore expellant, non solùm vitriolo, sed etiam sali communi, alijsq; ingredientibus adscribendum est, fermentum enim ventriculi non solùm debet esse acidum. (quod apparet in dyspepsia acida) sed etiam *acido-salsum volatile*, ut optimè statuit Clarissimus, ac Magnificus D. D. Illmer in suis *Institutionibus Medicis cap. 18.* Ad quod sal commune plurimum confert, ex quò non solùm spiritus acidus, sed etiam volatilis, & quidem in maximâ quantitatè elici potest, summis encomijs apud praticos præditus.

Idem ex chymia detegitur, constat enim, quod aqua vulgaris sale commu-

ni imprægnata, si argento in aquâ forti soluto, abfundatur, calcem lunæ mox præcipitet ad fundum. Hinc ut in eandem devenirem notitiam, argentum in eâdem aquâ forti solvi, solutum decantavi, & acidulas nostras, quarum portio aquosa jam multùm evaporaverat, admiscui ubi calcem lunæ pariter ad fundum præcipitatam adeptus sum; quòd cui minerali adscribendum sit, judicent alij.

Quæritur nunc, utrùm præter enumerata metalla, & mineralia, etiam *sulphur solare*, & *Mercurius acidulis nostris* concedenda sint? R. Me adhærere opinioni Clarissimi *Adami à Lebenwaldt* hisce numer ad me scribentis: *Mercurij alicujus*, quem *D. D. de Pozzis Archiater Cæsareus* olim continere afferuit, vel *sulphuris solaris* vix credo, adesse indicia; conjecturæ fuerunt ab effectibus, & affectibus, sed sine *Mercurio*, & *auro*, omnia possunt præstare acidulæ. Fateor, magnam me in ijs indagandis operam impendisse, nihil tamen invenire potui.



CAPUT X.

De terra alba Acidularum.

Dixi superius in destillationibus, & evaporationibus acidularū remanere in fundo copiosum pulverem coloris candidi, ē quo si per creibiores aquæ calidæ reaffusiones salia se-parentur, evadit insipidus, & candidissimus.

Quæritur nunc, cujus hæc terra naturæ sit? & à quo minerali trahat originem? R. Varias hac super re apud hydrographos exoriri controversias; à Joanne Wolffio in descriptione Widungensium cap. 1. vocatur *bolus albus*, à Giurio in arcano acidularum pag. 60. *terra aluminis*, ab alijs *mater ferri*, & *terra vitrioli* passim dicitur. Ego existimo salvo aliorum judicio hanc terram albam ab uno minerali non posse originem, & denominationem sumere, & quidem non ab alumine, quia hæc terra omnia ingredientia, quantitate superat, jam verò si esset aluminosa, denotaret etiā prædominium aluminis in acidulis, & consequenter ex adstringerent, & constiparent, quod est contra experientiam, &

suprà refutatum; nequè color albus quidquam hic probat: quemadmodum non omne aurum est, quod flavescit, ità non omne in acidulis alumén, quod albescit. Vidi ipse met penes fontem rubrum Ariavizensem suprà capite de vitriolo citatum, minerales lapides vitriolo copioso imbutos, qui etiam albedine in aliquibus partibus erant præditi, & tamen extractū ex ijs vitriolum, & pulveri gallarum commixtum, mihi formale atramentum scriptorium præbuit.

Unde concludo hunc pulverem esse terram omnium mineralium in acidulis nostris contentorum, primariò tamen vitrioli, nitri, & Martis, hæc etiam varias colorum metamorphoses faciunt, quod in præparatione vitrioli Martis ad oculum patet: si enim spiritum vitrioli, aut sulphuris, scobi Martis infundas guttātim, apparebunt in scobe post unum, alterum vè diem puncta flava, & albican-tia, si demùm tota hæc massa in aqua communī coquatur, & filtretur, manebit in filtro materia instar ochræ flava, crystalli verò postmodum erunt virides, & scobs ipsa nigra perseverabit. Idem propriâ experientiâ vidi in chalcanthifo-dinis

dinis Hungaricis, ubi scoriæ sulphuris, & vitrioli ab initio gaudent atro colore, postmodum verò aëri aliquot annis expositæ albescunt, flafescunt virescunt, & rubescunt. Pariter etiam contingit in nostra acidularum terra, quæ in colore valdè variat, extra scaturiginem enim, ubi acidulis humectatur, gaudet nigredine, & quidem adeò intensâ, ut rustici eam, cùm insuper sit aliqualiter pinguis, pro denigrandis calceis, & ocreis adhibere soleant: In ipsa scaturagine lateribus truncis adhærens flavescit, & modicè rubescit; Aquis verò subtilior pars probè, commixta acquirit candorem pulcherrimum, & gratissimum. Et hæc de unoquoquè acidularum ingredienti, & contento specialiter dicta sufficient, nunc ea conjunctim sumpta ulteriori examini subijciam, de quo sit.

CAPUT XI.

An hæc enumerata acidularum Roitschenium contenta sint volatilia, an verò fixa?



Mnia mineralia, quæ aquis vires suas communicant, commiscen-
D 5 tur

tur ijs, vel *spiritualiter*, id est secundum substantiam suam spirituosam, & volatilem, vel *corporaliter*, seu juxta substantiam terrestrem, & magis fixam; unde hic non exigua resultat controversia, quomodo acidulæ nostræ virtutes suas à mineralibus jam enumeratis participant? R. utroquè modo: Spiritus enim copiosi, qui Clarissimo, ac Magnifico D. D. Illmer in suis institutionibus tract. 1. cap. 15. nihil aliud sunt, quàm *sal volatile in fluorem redactum*. Ex sequentibus arguuntur.

In primis in ipsa scaturigine bullæ à fundo copiosè ascendunt, & in superficie in momento disparent, nitris verò infusa, bullulis suis, margaritis, aut Mercurio vivo, non dissimilibus, non solùm superficiem superiorem, sed totam peripheriam ornant & implent. Vitra angustioris orificij ijs impleta, si nimis accuratè clauduntur, sàpe solent frangi, quod nuper ovidam factum est, qui locò acidularum nihil domum reportavit, nisi fracta vitra. Idem mihi contigit, dum elapsâ hyeme magnum & crassum vitrum aliquot mensurarum ritè vesicâ bubulâ clausum, & munitum in cubiculo meo reservarem ubi ab initio turgentes spiritus

tus vesicam elevantes induxerunt in ea figuram sphæricam, postmodum verò, dum præter voluntatem meam, magis solito calefactum fuerat, spiritus isti, etiam magis excitati ac rarefacti, plus spatij occupare volentes, exitum quæsi-
verunt, qui tamen per fortiorem clau-
suram impeditus est, hinc crassum hoc
vitrum magno cum impetu disruptum
est in frusta, cum omnium acidularum per
cubiculum diffusione.

Auditus etiam spiritus istos detegit, nam vasis ligneis acidulæ inclausæ, circa superius orificium strepitum excitant, & sibilum, aesi in ijs contineretur mustum, aut flores cerevisiæ recentes, & fermentantes. Idem gustus manifestat: aquæ enim istæ dum aëri exponuntur, & sulphur in superficie concrescit, aciditas pluri-
mum diminuitur, tandemq; si diutius stent, totaliter ferè perit, quod non so-
lùm concreto sulphuri, sed etiam spiriti-
bus avolantibus adscribendum est.

Deniq; cum à posteriori in Medicina non mala fiat argumentatio, unusquisque quotidie videt nostras aquas per urinas, sudores, & alvum facile permeare, quod habet *Henricus ab Heer in sua spadacrene*

pag. 37. cap. 5. Pro signo diagnostico abundantium spiritum, qui nihil aliud sunt, quam *anima aquarum*, Sine qua fontes sunt mortui, & invalidi. Et haec de acidularum spiritibus, qui in evaporationibus partim avolant, partim etiam permanent, maximè si vasa ritè sunt clausa & munita.

Cæterū mineralia etiam secundū suas partes corporeas terrestriores & magis fixas aquis nostris inesse, & in earum interstitijs latere, abundè testantur suprà commemorata contenta, quæ infortioribus Vulcani torturis fixissimè permanent, & non avolant. Idem expertus sum, dum acidulas nostras cum aqua fluviali Dravi, & etiam puteali Marpurgensi in bilance ratione gravitatis perscrutarer, ubi semper eas graviores reperi, quæ tamen, si solis spiritibus scatarent, leviores esse deberent alijs aquis, quia spirituosa levitant.

Dixi mineralia in earum interstitijs, seu aquarum poris latere, quod forsan multis videbitur paradoxum, nihilominus tamen *Cassendus*, *Digbæus*, *Wilhelmus ten Rhyne* cum alijs sedulis naturæ scrutatoribus, multis rationibus, & experimentis hoc detegunt: v. g. sumunt aquam fon-

ta-

tanam, eamquè sufficiente quantitate salis communis saturant, ubi aquæ moles in eodem statu permanet, augetur tamen, si plus additur, quàm ad talem saturacionem requiritur; Postmodum diversa salia, figuris etiam diversis prædita v. g. nitrum, sal armoniacum, alum, & plura alia successivè injiciunt, & aquæ volumen semper in eadem quantitate conservant. Hinc ità inferunt: si hæc interstitia, seu aquarum pori, non essent admittenda, necessario admixtâ hac salis communis quantitate, aquæ moles deberet augeri, spatiūq; majus occupare, cum juxta Philosophos non detur naturaliter corporum penetratio, quod etiam solet fieri, si plus additur, quàm hæc interstitia capere poterunt. Quod autem postea absquè aucta aquæ mole, nitrum admittat, ratio est quia interstitia pro nitro diversè figurata adhuc sunt vacua, quamvis priora sale communi jam saturata sint ubi iterum moles ex crescit si paulò plus nitri admisceatur, quàm interstitia ista possunt admittere. Idem de alumine, sale Armoniaco, & vitriolo dicendum est. Cæterùm quod hæc salia diversa, figuras etiam diversas habeant, Tyronebus

bus pharmaceuticis jam notum est & experientiâ ad oculum demonstratur, si enim soluantur, & rursus crystallationi exponantur, unum quodquè ad pristinam suam, & propriam figuram redibit, nitrum videlicet in columnas oblongas, & pyramidales, ut plurimùm sexangulares, sal commune in cubos, & alia in alias. Qui plura in hâc materiâ desiderat, à præfatis Authoribus, alijsquè Neotericis docebitur fusiùs.

CAPUT XII.

Utrum salia acidularum Suprà enumerata sint acida, vel alkalia.

TAmosa apud recentiores prostat salium divisio, quâ dividuntur in acida, & alkalia, sibi ē diametro opposita: Unde hic etiam quæritur, qualia in nostris aquis deprehenduntur? **R.** Utraquè de acido enim, dum ab acore dicantur acidulæ, nullus nisi omni sapore destitutus dubitat. Patet præterea, si sal tartari calcinati iniicias acidulis, tum aciditas in monento peribit, quemadmodum perit, si idem sal aceto forti commis-
cea-

ceatur, quod præsentiam salis acidi, ab alkali tamen postea expugnatam clarè denotat. Interim tamen notandum hìc est, hoc sal acidum magis esse volatile, quam fixum; testes sunt acidulæ aëri expositæ, quarum acor multùm diminuitur, tandemquè totaliter ferè perit, ut suprà dictum, si diutiùs steterint. Similiter in blandis evaporationibus omnis acor perit, qui tamen deberet intendi ob magnam menstrui quantitatem jam oblatam, si fixiori naturâ esset prædictus.

Sal alkali quod attinet, quanquam non recordor, me apud ullum hydrographum legisse, quod in acidulis invenitur, vel mentionem fecerit, nihilominus tamen, dum in terrâ candidâ; Et acidularum sale invento, nondum aquiescerem, sed ulteriori scrutinio, ultimam salis differentiam, & fixitatis, volatilitatisquè gradum curiosius adhuc indagarem, spe non fui defraudatus, sed inveni, prouti volui, & quidem dupliciter, cum, & absquè operationibus chymicis.

Sine chymia in cognitionem alkali incidi, admiscendo varia acidulis; cum enim constat, quod alkalia convenientibus liquoribus addita, inducant colorem viri-

viridem: v. g. si syrupo violarum cæruleo aquâ fontanâ diluto addas oleum tartari per deliquum factum, habebis tincturam viridissimam. Idem fiet, si decocto rosarum rubrarum in aquâ vulgari facto, quod etiam rubrum est, instilles hoc oleum Tartari, vel sal tartari calcinati, vel aliud alkali, in momento rubedo migrabit in viriditatem. Unde ex his experimentis sæpius à me repetitis, ad acidulas à pari argumentari cæpi, sperando eosdem colores etiam venturos, si aedessem alkali; nec me fefellit opinio, nam rosas rubras exsiccatas in acidulis nostris coxi, & decoctum habui viride cum fæcibus flavescentibus, rosæ verò coctæ repræsentabant pultem etiam viridem, spina-chiæ coctæ non dissimilem. Eundem quoquè colorem per syrumpum violarum absquè ullo additamento acidulis admixtum aliquoties nactus sum, ut suprà capite primo dictum est.

Similiter sal alkali per operationes chymicas varijs modis se manifestat. Si enim duas mensuras acidularum lento igne ad libram semis evaporare sinas, liquor remanens erit omnis acoris expers, solummodo sapore aliquâlitter præditus, quem

quem si habet oleum tartari aquâ communî dilutum, si huic liquori instilletur aliquod acidum v. g. spiritus vitrioli, vel sulphuris, excitabitur effervescentia; & congressus pugilicus, uti loquitur Clarissimus Swalve de alkali, & acido pag 105. Quo peracto sal enixum in fundum præcipitabitur.

Si verò hunc liquorem vitro inclusum per aliquot septimanas in loco sicco, absque radijs solis, & calore ignis, sponte, & paulatim exsiccari permiseris, habebis in fundo ultraquè salia, tam acida, quam alkalia, prout suprà capite de nitro feci mentionem, acida enim, veluti nitrum, vitriolum, sal commune, & alumem erunt crystallisata in figura quadrata, nonnunquam modicè oblonga alkalia verò nullius erunt figuræ notabilis (hac enim carent, nec inter se multum differunt nisi fixitate, & volatilitate, ut optimè observat Joannes Helsricus Jüncchen in suo Medico præsenti saeculo accommodando pag. 23.) sed crystallis undiq; adhærebunt, quæ manibus attrita erunt similia lixivio forti, vel sali tartari calcinati, vel oleo tartari in aqua soluto, quod fæminæ nonnunquam locò saponis pro sordibus ab-

stergendis, & manibus dealbandis solent adhibere. Prætereà si hoc sal alkali acidularum, vel in forma sicca, vel in aqua vulgari solutum decocto rosarum rubro admisceas, eandem habebis viriditatem, acsi aliud alkali fuisset additum.

Quæres utrùm sal acidum, vel alkali in aquis nostris habeat prædominium? R. Acidum in acidulis prævalere, tam ipsa acidularum etymologia, quàm sapor acidus satis manifestum facit; neq; obstat, quòd color viridis per suprà allata experimenta dominium sali alkali attribuere satagat, propter hoc tamen, salia acida in acidularum vitriolo, nitro, sale communi; & alumine contenta, dum decoctum rosarum virescit, non excludenda & dominio spolianda sunt.

Quòd autem ratione coloris tunc temporis parùm operentur, inde provenire judico, quia proportionato suo subiecto careant; quemadmodum enim sal Tartari, & acidularum alkali decocto rosarum, & huic analogo viriditatem solummodo solent inducere, ità etiam vitriolum nullis liquoribus, nisi tinturæ gallarum, aut huic aliqualiter simili tanquam subiecto proportionato nigredinem

nem̄ communicat, nihilominus tamen̄ et si ratione nigredinis parūm, aut nihil faciat in flavedine tamen̄ illud recom-pensat, quòd ex eo colligitur, quòd hoc decoctum roſarum cum acidulis præpa-ratum non sit intensè viride, sed flave-dine mixtum, & fæces habeat flavescen-tes, similes ijs, quæ in vulgaris vitrioli ſolutione ſolent fundum petere. Acce-dit insuper, quòd tota viriditas post ali-quot dies diſpareat, & decoctum obſcu-re flavescat.

Cæterūm ſyrupum violarum quod attinet, quòd nimirum acidulis mixtus, intensius quām roſarum decoctum vireſcat, ratio eſt, quia cærulea in aqua ſolu-ta cum viridibus alioquin habeant ma-gnam analogiam, hinc modico de alkali addito, immeđiatē, & intensè virescunt; prætereà vitriolum acidulas parūm im-pedit, prout ipſe probavi, addendo ni-mirum huic ex ſyrupo, & acidulis mix-turæ viřidi proportionatam partem vul-garis vitrioli, viriditatem tamen ex in-tegro tollere non poteram, neq; quid-quam ſpecialiter obſervavi, niſi fæces in fundo modicē flavescentes; adeoq; ex omnibus iſtis, & pluribus alijs ſatis elu-

cessit, sal acidum pleno, & indubitate
jure in hoc Roitschocrene sibi vendica-
re prædominium.

C A P U T XIII.

*Quomodo Acidula nostra inter-
ræ visceribus generentur? Et cur non
deficiant in suis viribus?*

Variæ hâc de re apud hydrogra-
phos exoriuntur controversiæ;
nonnulli enim statuunt, quòd
hæc generatio fiat, dum ipsa aquæ sca-
turigo mineram allambat, & secum va-
ria mineralium, & metallorum ramenta
rapiat. Alij admittunt solùm vapores,
& spiritus minerales, qui ex sua minera
ascendentes præterlabentibus aquis aci-
ditatem, cæterasq; vires communicant.
Ego existimo generationem nostrarum
aquarum utroq: modo procedere, quòd
enim vaporibus, & spiritibus imprægnati
sint testantur varia, de quibus supradi-
ctum; similiter, quòd etiam fixioribus
minerarum tunc temporis adhuc mollium
particulis scateant, apparet in salibus
non avolantibus, uti in ipsa terra post
destillationes, & evaporationes relictæ.

Cæ-

Cæterum verò simile est, acidulas nostras non procul à loco, ubi ē terræ uberibus prosiliunt, suis mineralibus, & viribus imbui, si enim à longinquis locis per longum terræ spatiū decurrerent, tunc per terras filtratæ, non modò sua salia, & ramenta, sed etiam quidquid haberent minerarum deponerent, suam què naturam aquæ communis reassume- rent, quemadmodùm aqua marina per varios telluris anfractus colata & filtrata, falsedinem suam amittit, edulcoratur, redditurquè potabilis, ac insipida.

Nova nunc resultat quæstio non minus, utilis, quàm curiosa, quomodo ni- mirum fiat, quòd acidulæ per tot sæcula scaturientes (uti in spadanis apparet) in suis viribus non deficiant? Rx. Quamvis magna diversorum salium, & spirituum copia ex minera quotidiè extrahitur, & unâ cum acidulis ē terræ gremio excluditur, nihilominus tamen benignissimus rerum omnium artifex Numen Triunum. T.O.M. adeò fæcundavit hanc mine- ram, ut protinus de sale alio magnetis instar attrahat, & æqualiter ope astrorum influxûs participet, quod per allabentes a- quas fuerat deperditum.

Testatur hoc propriâ experientiâ magnus thermarum, & acidularum per Galliam scrutator Clarissimus *Henricus Rodes* in sua *Anatomia Spagyrica cap. 3.* Hic cum suo parente, qui sub Henrico quarto Rege Galliæ supremus aurifodinarum Præfectus fuerat, magnam in origine acidularum indaganda industriam adhibuit, & juxta aquarum venas versus originem curavit montes perfodi, omniaquè Linceis oculis perlustrari, ubi tandem invenit in principio aquarum medicarum, terram salsam mineralem, sua salia per labentibus aquis communicantem, quod ex hoc colligebat, quia dictæ aquæ ante hanc terram prorsus erant insipidæ; & dulces, postquam vero eam transgressæ fuerunt, acidæ, & salsæ; ut autem adhuc melius omnia penetret, domi supra hanc terram assudit aquam calidam pro salibus extrahendis, quod etsi aliquoties repetierit, & salia extraxerit, terra tamen rursus salibus scatebat, Imò extractis ijs, & ponderatis, ponderavit etiam terram, quæ dum aëri sereno in vase ligneo exponeretur, quartâ parte rursus gravior evasit, & multò salsior, hinc denuò sal extraxit in

eâdem

eâdem quantitate, quâm antea, & hoc repetijt sæpiùs. Accepit præterea terram vulgarem, & aëri eodem modo exposuit, nulla tamen major gravitas, nec falsedo consecuta est. Unde concludit postmodùm, terram istam mineralem, & magneticam à nullo alio posse tam citò imprægnari, quâm à spiritu universali, seu sale quodam in aëre existente, de quo varia apud Authores prostant nomina: *Ratio* dicitur *sal naturæ*. *Magnificus*, & *Clarissimus D. D. Illmer in institutionibus suis M. S. cap. 7.* Vocat *substantiam aetheream*, & *cælestem*, hinc in epistola suâ de acidulis nostris ad me scripta, & suprà ante præfationem annexa scribit, nostrarum acidularum spiritus ob limpiditatem, & claritatem, participare etiam de natutâ ætereâ: *Schræderus in suâ pharmacopœiâ lib. 3. cap. 8. pag. m. 366.* appellat, *Macrocosmi, elementorumq; spiritum*; *Clarissimus Adamus à Lebenwaldt* vocat spiritum *Nitro - aëreum, aethereum*; *Alij sal aëris centrale*, & alia assignant vocabula.

Notandum autem hic est, dum Authores spiritum istum universalem vocant, non intelligendus est spiritus ille mundi, seu magnum animal, à veteribus

Philosophis dictus, cujus omnia corpora
 in universo mundo existentia suntq so-
 lummodo partes integrantes, & inter se
 tantum accidentaliter, non autem sub-
 stancialiter differentia, quam opinionem,
 utporè plurimis absurdis scatentem, non
 solum orthodoxa fides, sed etiam ipse
 Philosophorum parens *Aristoteles* cum to-
 tâ suâ peripatheticâ prosapiâ jam dudum
 clarissimè expugnavit, & rejicit; sed
 per spiritum universalem, & sal naturæ
 intelligunt aliquod universale influens,
 seu substantiam aliquam in aëre, & alibi
 existentem, cum quâ sublunariâ varias
 actiones peragunt; plura vide de hâc
 materiâ apud Authores. Utrum autem
 opinio ista admittenda sit, meum non
 est hîc decidere, sed doctoribus delibe-
 randum relinquo; interim tamen certum
 est, etsi spiritus iste universalis non ad-
 mittatur magnam copiam salis in aëre exi-
 stere, quod varia detegunt: refert enim
Hoffmannus in sua *Clavi pharmaceuticâ* pag. 140.
 quòd *Burrhus* aquam ex aëre hoc sale in-
 gravidatam collegerit beneficio capacissimi
 cuiusdam filtri vitrei, cuius orifici-
 um inferius clausum, glacie, vel aquâ
 fontanâ frigidissimâ nitro, vel sale Ar-
 mo-

moniaeo imbibitâ repleti, & radijs solariis expositi, Addit postea: Verum sal ex aëre extrahi posse, luce Meridianâ clariss, adeo ut etiam, qui colligant, afferant flante vento boreali, & hyeme acidum illud esse: collectum autem aestate, odore, colore, & sapore differere à priori, nec vix aliquid acidi, in se continere, sed potius alkalisatum esse; differre etiam ratione loci, Regionum, &c,

Sic Ingeniosissimus D. D. Morhoff in epistola de metallorum transmutatione pag. 29. refert, Quod Amstelodami apud D. Theodorum Kerckringium Viderit veri, ac genuini vitrioli, sed impuri quantitatem non exiguum, quam ex aëre Amstelodamensi, multis aquarum salsarum, & soli paludosí effluvijs imprægnato, machinæ cujusdam beneficio extraxerat.

Eandem salis in aëre existentiam confirmant, scoriæ sulphuris in chalcantifodinis Hungaricis, de quibus suprà capite de sulphure & alibi sæpiùs jam facta est mentio, quæ aliquot annis aëri libero objectæ maxima vitrioli copia imprægnantur, dum tamen priùs absquè tali aëris expositione, parùm, aut nihil hujus mineralis habuerint; Quod autem solum hæ scoriæ sulphureæ, & terrestres, &

non alia vulgaris terra vitriolum imbibant, videtur provenire à magnetismo, & certà quādam dispositione hujus subjecti attractivi ad vitriolum attrahendum specificè ordinata, quæ posset explicari per Idæas, & fermenta seminantia priùs in hisce scorijs existentia, uti vult *Marcus Marci Medicinæ* quondam Professor in Universitate Pragensi celeberrimus, & plures Neoterici.

CAPUT XIV.

Unde proveniat Aciditas in aquis nostris Roitschensibus?

DE aciditate acidularum à quibus mineris proveniat, variè apud Authores controvertitur; Non nulli eam sulphuri volunt attribuere, nítentes hoc fundamento, quia ex sulphure vulgari spiritus per artem chymicam elici potest, qui in acore spiritui vitrioli est simillimus. Verùm cum sulphur in nostris aquis in tanta copia se non insinuet, alibi acoris causa quærenda est; Imò et si copiosè adesset vix tamen aliquid in hoc genere communicaret, quod manifeste

festè patet in thermis, quæ copioso sulphure ut plurimùm constant, & tamen nullam possident aciditatem.

Clarissimus *Giurius*, qui omnibus acidulis, quæ Marte gaudent, vitriolum absolute denegat, ad alumem confugit, quæ tamen opinio, ut suprà refutatum est, hic locum non habet.

Ego illorum amplector sententiam, qui vitriolum pro primaria acoris causa statuunt; Nam si verum est, quod *Sebizius* in tractatu de acidulis posit. 79. *dissert. 4. sect. 1.* asserit, ubi aciditatem intensiorem à chalchantho, & ejus speciebus, remissionem ab alumine, adhuc remissionem ab ære, & infirmissimam à ferro provenire existimat, necessariò sequitur, acidulas nostras primum modum, seu vitriolum sibi vendicare, cùm sint præditæ aciditate intensiore, & gratissima, præsertim si in ipsa scaturigine instituatur potatio. Cæterum quod à vitriolo, ejusquè spiritu liquores aquirant aciditatem valdè intensam, in julapijs abundè liquet, & in ipso lixivio, ex quo vitriolum excoquitur, quod ipsem in chalcanthi fodinis Hungaricis ante quinque annos gustavi, & ità inveni.

Dixi vitriolum primariam aciditatis cau-

causam esse , hinc non excludo cætera
 contenta mineralia , quæ tamen secunda-
 riò solummodo concurrunt , quod ex se-
 quentibus arguitur , nam acidulæ nostræ
 dum ad locum tepidum in vitro aperto
 aliquamdiu exponuntur , spiritus multùm
 volant , & particulæ sulphureæ superfi-
 ciem petentes , pelliculam coloris subspi-
 cei , & pallecentis , uti suprà dictum , con-
 stituunt , quo tempore manifestè aciditas
 diminuitur , tandemquè totaliter ferè
 auferetur , dum contenta salia in cremo-
 rem crystallisentur , & terra alba ad fun-
 dum præcipitetur , nam *salia* juxta tritum
 chymicorum axioma , *non agunt nisi soluta* ;
 Hinc non mirum , quòd postmodùm , dum
 ea in crystallos abeunt , acidularum acor-
 non solum pereat , sed insuper magna con-
 sequatur virium jactura . Quæ etiam
 ratio est , quod in ipsa scaturigine aquæ
 nostræ nobiliores edant effectus , quàm si
 diu , & multùm vehantur , ubi contenta
 volatilia magnoperè evaporant ; Si verò
 hanc exhalationem per accuratam vaso-
 rum clausuram impedire volumus , vitra
 ipsa , ob spiritus turgentes rumpuntur sæ-
 piùs , quod meâ , & aliorum experientiâ
 comprobatum habeo .

CAPUT XV.

*Utrum Acidula Roitschenes
tutè ob sua mineralia ab hominibus
bibendæ sint?*

Purimi, præsertim veterum nutriti sententijs, tantâ persequuntur acidulas hostilitate, ut eas nunquam, aut saltem rarissimè in potu admittendas judicent. Ad stipulantur enim authoritate *Agricola*, qui referente *Giurio* in suo arcano pag. 37. cap. 4. ait: *Aque, quæ mortem inferunt, vitriolo plurimo constant, quod interiora corrodit;* Huic consentit *Franciscus Guenaltus*, Qui in hygiene cap. 20. Aquis vitriolatis exiguum laudem attribuit, verba ejus sic sonant: *Vitandæ eæ sunt, ubi ad catarrhum dispositio est, vel ad apoplexiam, vel epilepsiam, quia inter cæteras minerales aquas maxime cerebrum oppalent, quin etiam, cum omnes minerales aquæ siccandi potentiam insignem habent, vitandæ quoquè sunt, ubi viscera nutritia, potissimum jecur, intemperie calida sicca laborant:* præterea vitriolum est cacostomachum, acre, erdens, & vomitorium.

Alij à posteriori argumentantur, videlicet multos in ipso aquarum potu non so-

solum in gravissimos morbos incidisse,
 sed etiam in ijsdem perijisse, & mortuos
 esse. Clarissimus Johan. Baptista de Lanz-
 werde in suis monitis salutaribus de magno therma-
 rum, & acidularum abusu, pag. 129. Modum
 quo morbi per acidulas producuntur fu-
 sissimè explicat sequentibus: Si illud Galeni
 lib. de bonitate, & vitio humorum cap. 14. pœ
 oculis haberent, vix fieri posset, ut homo unquam
 agrotet, nisi cruditatibus, à quibus omnia oriuntur
 morborum genera, scateret, ad quarum generatio-
 nem nil certè congelido acidularum potu efficacius
 reperiri potest, nam non solum statim naturalem
 hominum calorem, si imbecillior, vel si fortior exti-
 terit, occulto temporis progressu vincit, sed etiam
 crassiora metallorum, mineraliumque ramenta,
 nimia copia vi inordinatae potionis intra corporis
 penetralia impulsa, tacitas sanguinis & economiae in-
 sidias struunt, quæ utpotè actione caloris naturalis
 indigestibilia, cum licet jam per lacteam viam in-
 gressa, sanguinique permixta, nec in sanguinem,
 nec in partium substantiam mutari, nec evaporare
 possint, in massâ sanguineâ, tanquam ingrati hos-
 pites, & insidiosi exploratores tam diu vagantur,
 donec à reliquâ massa separentur, & ad latera vaso-
 rum, & partium decumbant, in quibus subsidiarijs
 sensim convocatis humorum, & spirituum copijs:
 subitò suas machinationes explodunt, incognitas,

sub-

*subinde lente, subinde raptim infirmitates excitan-
tes. Hæc ille.*

Verum enim verò rigorosis hisce aci-
dularum censuris, facilè tam per experi-
entiam, quām rationes poteſt demonstra-
ri contrarium: Causa enim potissimum,
cur eas reijciant, defumitur ab acrimoniam
vitrioli, quæ re verâ foret timenda, nisi
in terræ visceribus per alia foſſibilia con-
temperaretur, & corrigeretur; Non qui-
dem inficias eo, vitriolum crudum eſſe
cacostomachum, & ejus ſpiritum corro-
ſivum, abſquè vehiculis, & corrigenti-
bus ſumptum intestina poſſe exedere, &
lethalia inducere ſymptomata; Attamen,
ſi per varias vulcani torturas impurum à
puro ſpagyrice ſequeſteretur, tanta medi-
camentorum ſaluberrimorum farrago ex
eo prodiit, ut *Theophrastus, Paracelsus de vi-*
triolo cap. 8. pag. m. 1050. Pro quarta phar-
maceutica columna habuerit, lignoquè
comparaverit, ex quo mirabiles formas
ſculpere poſſimus. *Camerarius* insuper
addit in *dissertatione Medica* pag. 3. vix ullum
reperiſſi morbum, cui ex vitriolo cuneus non poſſit
opponi. Corrigentia autem, quibus ejus
nimia acrimonia contemperatur, ſunt va-
ria, iſpis acidulis admixta.

In primis se ipsius nat Sulphur, quod ut
suprà dictum manifestè deprehenditur,
& vim corrosivam vitriolatam obtundit,
& corrigit; Hæc verò salium acerum ob-
tusio apud Clarissimum *Sylvium dele Boë*,
Gæterosq; Neotericos nihil novi est, &
passim in quotidiana praxi feliciter exer-
cetur, ubi ardori urinæ per emulsiones
seminum quatuor frigidorum, & amygdala-
larum: Enormibus doloribus colicæ ab
aci bile ortis, per oleum amygdalarum
dulcium, tam iñ jusculis, quam in clyste-
ribus cum vitello ovorum adhibitum:
Famieanæ à fermento acri productæ,
per pinguis optimè medetur, quæ medi-
camenta omnia sunt sulphurea, & balsa-
mica.

Clarissimè insuper patet hoc in præ-
paratione spiritus vitrioli dulcis, quem
teste Hoffmanno, in clavi sua pharmaceutica ex-
nullo alio subjecto meliorem, quam ex
vitriolo Martis nancisci possumus: red-
ditur autem dulcis, si tali spiritui ex vi-
triolo Martis præparato, addatur spiri-
tus vini, & cum aliquot cohobijs super-
caput mortuum digeratur, & destilletur,
quæ facto rodens vitrioli aciditas adeò
hebetatur, ut tutò usurpari queat. Si-
mi-

militer fit in spiritu salis marini dulcificato apud Viennenses in urinis, & calculis promovendis medicamento usitatissimo, ubi spiritus vini, in quo sulphur, utpote menstruo sulphureo valde abundat juxta doctrinam Magnifici, & Clarissimi D. D. Illmer Instituit: Medic: cap. 20. §. 5. Suam energiam mirè demonstrat. Imò hæc methodus acrimoniam corrigendi ipsis mechanicis est notissima, qui ferro varias figuræ imprimere volentes, laminas ejus cerà alijs sulphureis mixta in superficie obducunt, in quibus si postmodùm stylo ferreo varij characteres, & figuræ insculpantur, & aqua forti, aliovè corrosivo spiritu tota superficies illinatur, tunc solumodò characteres ab aqua forti immediate attacti corroduntur, & ferro imprimuntur, illæsâ cerâ, & ferro subtûs latente.

Secundò nimia vitrioli acrimonia in acidulis corrigitur per ferrum, prouti tradit Joha. Helfricus Jüncken in sua chymia experimentalí curiosa pag. 234. ubi mihi inter cæteros modos vitriolum purificandi sequens maximè arridet, videlicet accipe vitriolum vulgare in aqua pluviali solutum, Ebulliat in vase cupreō, & postea,

si vitrioli fuerint libræ decem, injiciantur limaturæ, aut scobis Martis, libræ duodecim, tum fæces, & nociva acrimonia manebit in ferro, & vitriolum postmodum ulteriori filtratione, & evaporatione in crystallos redactum, evadet optimum remedium.

Hinc etiam fit, quod Clarissimus Tilingius in suo prodromo praxeos chymiatricæ classe. 3. titul. 14. pag. 668. spiritum vitrioli Martis, & Fridericus Hoffmannus Spiritum ejusdem volatilem cum Marte præparatum in clavi sua pharmaceutica pag. 359. tantis extollant laudibus, ut in capitib[us] affe-ctibus, ac febribus ardentibus non super habeatur remedium. Idem quoq[ue]; de Sulphure vitrioli anodyno Zwelfferi, utpote magno Archei sedativo patet, quod describit in sua mantissa spagyrica part. 2. cap. 9. pag. 394. in quod Mars etiam ingrediatur.

Tertiò vitrioli acrimonia multùm etiam diluitur per aquam, quod manifestè apparet in diebus pluviosis, ubi acidularum virtus, & aciditas plurimùm diminuitur. Imò spiritus vitrioli vulgaris, si solus sumitur, ventriculum & intestina corroderet, & perforaret, magnâ tamen aquæ

aquæ fontanæ quantitate dilutus in optimum evadit medicamentum. Tandem quoq; ejus corrosiva qualitas imbibitur, & demulcetur per terram illam candidam in fundo destillatarum acidularum manentem, pari ratione, quo quotidie apud practicos salia acria per bolum, cretam, oculos cancri, & alia terrestria corriguntur, & absorbentur.

Quare hisce rationibus ritè perennis, & quotidianâ experientiâ considerata, quæ teste *Galen* omnium facultatum, quæ Medicamentis insunt, judicatrix est certissima, unicuiq; jam patet acidulas ex foro Medico propter vitrioli acrimoniā non esse excludendas, sed maximas obtainere virtutes in diversis morbis, tam præcavendis, quām curandis. Possem hic innumeros in nostris, & vicinis terris, ad quas aquæ istæ copiosè vehuntur, pro testimonio adducere, qui optimum inde effectum juxta vota propriæ nacti sunt, sed brevitatis causâ supersedeo. Non tamen diffiteor, frustrà aliquando fuisse bibitas, Imò graviora mala introduxisse hoc enim solet fieri, dum corpus ægri, per prævias purgationes, & venæ sectiones non satis fuerit præ-

paratum, aut morbus, v. g. phthisis, hydrops, hectica, hæmotysis, &c. Aut temperamentum nimis, siccum, vel frigidum, aut alia considerabilis ratio contradixerit, aut demum error aliquis in ipsa potatione commissus fuerit; Quapropter nullus sanæ mentis acidulis pessimum istum effectum adscribet; sed ægri ipsimet, medicatrices vetulæ, Empirici, Agyrtæ, cæteriq; omnes, quibus tam morbi, quam acidularum natura ignota est, & tamen tanquam ad universale remedium, & sacram anchoram illotis manibus confugiunt, isti, inquam, in his casibus culpandi sunt; alias vix ullum in toto gazophylacio medico dabitur remedium, quod laudem mereretur, siquidem illud si nimirū indebitè adhibeatur, plures morbos, & mortem ipsam possit parare, & inducere, prout ipse in castris Cæsareis sæpiùs expertus sum, ubi à chirur-
gis campestribus per intempestivam, & il-
legitimam laudani opati in dysenterijs
adhibitionem, lethalia sæpè excitata sunt
symptomata, quorum causa non fuit lau-
danum, ut laudanum, sed ut illegitimè
& Empiricè administratum.

Cæterùm textum de *Lamzwerde* su-
prà

prà citatum quod attinet , lubens admitto , quod hæc , & plura adhuc mala provenire possent , si crassiora metallorum , & mineralium ramenta in corpore maneant ; sed nego suppositum , quòd manere debeant , siquidem omnes hydrographi unanimi calculo statuunt , acidulas in corpora stagnantes per varia remedia foras esse propellendas , ac interna viscera ab hoc peregrino , & minerali hospite quàm citissimè liberanda .

CAPUT XVI.

De primis acidularum nostrarum qualitatibus.

Cum varia scrutinia chymica in examinandis harum aquarum mineralibus hactenus jam declarata fuerint , restat nunc , ut etiam eas ad incudem philosophicæ inquisitionis adducam , more veterum indagando , quâ primarum qualitatum symmetriâ dotatæ sint . Constat itaq; eas in ipsa scaturigine , actu frigidas , & humidas esse , quod nullus hactenus , nisi sensibus externis orbatus denegare voluit ; de potentialibus

tamen earum qualitatibus diversimodè apud Authores agitatur quæstio : Ego omissis variorum opinionibus , ut paucis me declarem existimo Roitschenses nostras aquas non solùm actu , sed etiam potentia esse frigidas , & insuper exsiccandi viribus præditas : siccitas ab omnibus ferè ijs attribuitur , quia Mars , vitriolum , alumem , & alia , quibus copiose constant , potenter exsiccant . Accedit insuper , quod viscera sub adstringendo roborant , qui effectus à siccitate , ut potè genuina soboles , juxta Galenicos provenit . Prætereo reliqua , præsertim incommoda , quæ ab his aquis , temperamenta antecedenter jam exsiccata , adhuc magis exsiccantibus sæpè sæpiùs inducta sunt .

Ast de potentiali frigore magna exoritur difficultas : multi volunt , quod ab initio quidem ventriculum actuali suo frigore alterent , postmodum vero , calore stomachi domitæ , creduntur calefacere . Nihilominus tamen ego cum Magnifico , & Clarissimo D.D. Illmer Institut. Med. M.S. tract. 1. cap. 11. contrarium , ut suprà dixi , lubens amplector , & sequentibus confirmo .

Primo enim istarum acidularum partes constitutivæ sunt plurimæ frigidæ : ergò qualis materia, tale & materiatum.

Secundo causas morbi calidas, ut potè bilem potenter corrigunt , & infringunt.

Tertio, intemperiem viscerum calidam, sitim, febres, morbos , & symptomata à calore orta, ex integro curant.

Quarto, juvant calidos , nocent frigidis.

Quintò, bibuntur in ipsis canicularibus , dum omnia calida medicamenta cane , & angue pejùs fugienda sunt.

Neque obstat, quod nonnunquam in potentibus faciei rubor, ventriculi, & hepatis ardor, aliaq; caloris indicia se se insinuent ; hic enim effectus non per se , sed per accidens exoritur , dum vide licet sal acidum nostrarum aquarum cum alkali acerrimæ bilis nondum sufficien ter per purgationes prævias evacuatæ , pugnam excitat , & effervescentiam in ventriculo inducit , à quâ sanguis propter vapores acres, & calidos adhuc magis raf factus, producit ardorē hepati, & ad genas , lege circulationis protritus, rubore eas tingit, in quibus ob cutis subtilitatem, prout in pudore appetet, facile

sanguinis mutatio alioquin cognoscitur.
Dixi: effervescentiam fieri ab acido nostrarum aquarum, & alkali acerrimæ bilis. Negat quidem *Zwelfferus*, quod alkali nomen salibus animalium volatilibus possit competere, verum opinio ista à *Clarissimo Schröckio in pharmacopœia Augustanae restitutæ defensione cap. 8. pag. 44.* satis refutata est. Cæterum quod ex salium diversitate effervescentia, & ex hâc calor excitetur, apud chymicos nihil novi est, & patet in præparatione tartari vitriolati, ubi sal acidum spiritûs vitrioli adeò effervescit cum alkali in oleo tartari contento, ut non solum vitrum incalefacat, sed etiam frangatur, & dissiliat, si copiosè unâ vice instilletur spiritus vitrioli.

Pro confirmando ulterius, quod acidulæ nostræ sint calidæ, desumunt rationem primariam *Adversarij* ex hoc, quod videlicet appetitus per eas excitetur, ciborum coctio promoveatur, & ventriculus roboretur: supponunt enim, quod hoc à solo calore provenire soleat. Verum fateor omnia ista felicissimè per aquas nostras præstari posse, attamen soli calori non possum attribuere; si enim omnes animalium operationes solummodo

dò per quatuor primas qualitates explicare volumus, verificabitur profectò illud, quòd sat rigorosè habet *Wilhelmus ten Rhyne*, ubi ex *Helmontis* mente in meditationibus de veteri medicinâ pag. 75. & 76. ità asserit: *Quaternaria*, inquit, *cantilena elementorum*, & *quatuor complexionum*, *quatuor humorum*, *quatuor primarum qualitatum positiones*, & *conjugationes*, tanquam infaustum sidus post se trahit, & medicinæ & pluribus rebus mechanicis sterilitatem adferens. Et hoc non solum in animalibus, sed etiam in mineralibus, & vegetabilibus intelligendum est: Notum est omnibus: Quòd *Magnes* trahat ferrum; Quis autem hoc per quatuor primas qualitates explicabit? non per frigus: aliàs glacies semper vivum, & rosæ etiam ferrum attraherent; Nequè per calorem: aliàs idem præstaret piper, & zinziber; Nequè per siccitatem: aliàs omnes lapides essent naturæ magneticæ, nequè demùm per humiditatem, quâ caret, & quamvis haberet, nihil tam adjuvaret, aliàs ab aqua vulgari, & multis alijs eadem tractio consequeretur. Sed ut ad ventriculum redeam, lubentissimè admitto in arte Medica qualitates primas maximæ esse utilitatis, ac in omni

morbo summè considerabiles, nihilominus tamē alia etiam perpendenda sunt: sic pro ciborum concoctione requiritur temperatus ventriculi calor, bona ejusdem conformatio, fermentum salino-acidum volatile, & alimentorum tam quantitativa, quam qualitativa proportio. &c. Unde cùm coctio sit instar boni, *bonum autem ex integra causa, & malum ex quovis defectu,* necessariò sequitur, si unum ex his enumeratis requisitis deest, eam non posse ritè peragi, quamvis calor optimam adhuc habeat temperiem; hinc acidulæ nostræ digestionem promovent, & appetitum excitant, non tamen, quatenus ventriculi calorem augent, sed quatenus fermentum acidum, antea debilitatum, de novo restaurant, & exaltant. Videatur hoc veritati esse consonum, & confirmatur per succum citri, & limonum, qui juxta omnes Galenicos refrigerare dicuntur, & tamen teste quotidianâ experientiâ, pro excitando appetitu, & concoctione promovenda, est nobile medicamentum, idem præstat tremor tartari, fœcula acetosellæ, & reliqua acida, quæ tamen sua refrigeratione, si suppositum verum.

rūm esset, ventriculi actiones magis deberent destruere, quàm adjuvare.

CAPUT XVII.

De cæteris nostrarum aquarum qualitatibus & viribus.

Totum, quod præstant acidulæ nostræ in curandis, & præservandis morbis, præstant tripliciter, videlicet *alterando, roborando, & evacuando*. Ut autem hoc clariùs adhuc pateat, necesse est harum aquarum ingredientia, superiùs jam detecta, separatim aliquali ter examinare, qualia scilicet medicamenta praxi suppeditent, & quomodo ægris convenient.

Vitriolum itaque, tanquam horum ingredientium non infimum, adeò recom mendatur ab Authoribus, ut Mindererus, cap. 2. lib. 1. dechalcanto, in hoc delitescere mineralium, & vegetabilium fermè omnium virtutes præcipuas statuerit: Im primis verò omnes omnium metallorum spiritus, vires, ac proprietates in uno vitriolo tanquam in sua origine continen tur. Similiter Gesnerus illum Medici personā vix

vix dignum judicat, qui medicamentis vitriolatis se posse carere autumat. Et Theophrastus Paracelsus oleum vitrioli vocat quartam partem pharmacopolij, atque cuilibet pharmacopolæ ita commendat, ut sit instar, lapidis angularis in sua officina. Plura encomia suppeditat Grulingius in suo florilegio Hippocrateo-Galeno-chymico part : 18. cap. 1. pag. 398. Idem confirmant tot viri Clarissimi, & in hoc erudito sæculo celeberrimi, per sua ex vitriolo elaborata pharmaca. Nam spiritus vitrioli volatilis Tackij utiliter adhibetur, ubi fermentum partium langvet, & putredo iminet, ac sanguis dissolutioni est proximus; Hinc febribus ardentibus, acredinibilis, renibus obstructis, optimè medetur, dum abstergentibus attenuantibus, ac aperientibus opus est. Clarissimus Hertod in sua Tartaromastige pag. 20. insuper addit: salia volatilia in omnibus morbis, ubi illa excedunt, nullo melius figuntur medicamento, quam spiritu vitrioli. Hinc etiam spiritus iste ingreditur Elixir stomachale Michaelis: Tincturam bezoardicam Ludovici, & alias compositiones famosissimas. Item spiritum vitrioli antepilepticum puerorum Hartmanni in pharmacopolijs Viennensibus adhuc usualem quem pro summo arcano olim

olim habuit *Tycho de Brahe* insignis Mathematicus referente *Joan: Jüncken* in sua *chymia curiosa* pag: 244. Similiter quid præstet sulphur ejus anodynum, ex *Schrædero, Zwelffero*, alijsquè petendum est; Ego hoc medicamento à quodam chymico mihi dato plura præstiti, quām laudano opato, utpote nervoso generi nontam inimico, & infesto.

Ferrum quod attinet, quanto cum fructu adhibetur in cachexia, affectione hypochondriaca, viscerum obstructi-
bus & sexcentis alijs ut salia corrosiva,
& sylvestria, in lympha, & sanguine ex
acidis, falsis, nitrosis, vitriolatis, & Ar-
moniacis effluvijs invicem minùs symbo-
lizantibus composita, corrigantur, &
evacuentur, notum jam est omnibus, &
medicamenta, ex eo chymicè præparata,
abundè approbant. Unde non immer-
tò *Hoffmannus* in sua *clavi pharmaceutica* pag.
355. tanta à *Paracelso* assignata elogia vi-
triolo Martis, tanquam genuino ejus filio,
ob eximum ejus usum, optimè compe-
tere statuit. Idem de *tinctura vitrioli Martis*
Zwelfferi; *sale essentiali Martis Mæbi*: *Chalybe*
potabili Fischeri: *Pulvere Charmthiaco*, *insigni*
pro chlorosi virginum remedio, *Pulvere operitivo*
sple-

splenetico Kneufeli, & alijs dicendum est. Tali etiam modo *Johan: Jüncken* in suâ chymia jam citata pag: 368. præparat arcanum illud *Willisij*, tantopere celatum in tractatu de fermentatione, ex quo acidulas suas artificiales solitus est facere; Est autem nihil aliud, quâm tinctura aperitiva ex limatura Martis, & Tartaro albo, ope aquæ communis extracta, ac postmodum ad mellaginem inspissata.

Nitrum, à Clarissimo *Adamo à Lebenthal*, sal universale, seu Hermeticum, condimentum terræ, & mille proprietatum, dictum, non exiguum meretur laudem in siti, & æstu compescendo, putredine arcenda, tartarea saburra incidenda, ac per urinam, & sudorem evacuanda; Hinc spiritum ejus *Crollius* in sua *Basilica* pag. m. 147. pro colicâ, & pleuritide mirè commendat, quem ipse met, attamen prius spiritu vini dulcificatum ad enormia intestinorum tormenta feliciter subinde adhibui, unde etiam ingreditur *spiritum antipleuriticum, & anticolicum D. D. Michaëlis.* *Fridericus Hoffmannus* in suâ *Clavi* saepius jam citatus pag. 346. tradit nihil veneno, & arsenico magis contrariari, quâm nitrum, non tamen vulgare, sed philosophicè præparatum,

ratum. In calculo resolvendo etiam optimè recommendat hunc spiritum volatilem, *Wilhelmus Tenkyne* in suis meditationibus de veteri medicinia pag. 223. Similiter *Glauberi alkhest*, sal antifebrile *Moebij*, *Tinctura diuretica Möllenbroccij*, *draco fortificatus*, & sal chacheticum chalybeatum *Schræderi*, arcanum duplicatum *Mynsichti*, & plura laudatissima medicamenta ex nitro componuntur; Videatur naturalis historia nitri *Guilielmi Clarake* pag. 56. & alibi.

Sulphur quid præstet in omnibus fermentè febribus, & pectoris affectibus, agyrtis jam notum est, & tanta farrago balsami, lactis, florum, spiritum, tincturarum, aliorumquè medicamentorum sulphureorum satis confirmat; Latet enim in illo, uti vult *Helmontius* magna vis accendi putredinem, quæ causa est, quòd non solum febribus putridis simplicibus, sed etiam malignis, & pestilentialibus optimè adversetur.

Alumen etsi solitariè sumptum maximis in adstringendo polleat viribus, nihilominus tamen aquis mineralibus mixtum à *Thurneissero*, & *Tabernamontano* dicitur aperire, uti refert *Camerarius* in sua dissertatione *Medicæ acidulis* pag. 3. Nam vis adstrictoria

quria potius videtur consistere in particulis
terrestribus , ratione spirituosalium
autem evadit in medicamentum diureti-
cum teste Clarissimo Hertod in sua tartaro-
masticè Moraviae pag. 26. Unde etiam Schre-
derus ad æstum febrilem compescendum,
ac viscerum obstrunctiones reserandas,
præparat spiritum aperitivum, & diure-
ticum ; Similiter in paraxismo optimè
convenit alumen tinctum Mynsichti, vel ejusdem
crystalli Joan: Michaelis. Imò si terra astrin-
gens aluminis per præcipitationem à
phlegmate separetur, crystallisabitur pri-
mum ens aluminis in frigore, instar fac-
chari , quod summum celebratur anti-
hecticum à Potero , referente Hoffmanno su-
prà citato pag. 349.

Sal commune quod attinet, mira præ-
stat per suum spiritum dulcem, præsertim
in extingvendis urinæ ardoribus, senum
strangurijs, calculo renum, malo hypo-
chondriaco, scorbuto, hydrope, ictero,
febribus intermittentibus, &c. Unde e-
tiam si elixir proprietatis Juniperinum
huic misceatur, à nonnullis in peste ma-
gnopere recommendatur; plura vide
apud practicos.

Tandem terra illa insipida, & candidissi-
ma

mā, acidulatum bolus à multis dicta, quæ
 copiosè in harum aquarum poris occul-
 tatur, & eās adhuc (quod mirum) limpi-
 das, & diaphanas conservat, dum copio-
 sè in his aquis reperitur, varijs etiam vir-
 tutibus prædicta est: Imprimis relaxatum
 viscerum tonum reducit, & viscera mo-
 diei subadstringendo, valde roborat,
 uti statuit Magnificus, & Clarissimus D.
 D. Illmer Consiliarius, & Archiater Cæsareus in
 Epistola sua ad me datâ, & supra antepræfatio-
 nem annexâ; Præterea etiam Magnificus
 est in absorbendâ, & imbibenda humo-
 rum acrimoniâ, tam volatili, quam fixâ;
 alkalica, & acida: Cujus rei experimen-
 tum ipse met institui admiscendo hanc ter-
 ram aceto forti, quod postmodum in-
 veni acrimoniâ multum destitutum. Te-
 stis insuper est quotidiana experientia,
 ubi, sive Galenicè, sive chymicè proce-
 ditur, magno tamen cum effectu pro
 cardialgia, & ardore ventriculi sistendo
 ea adhibentur, quæ acerrimam stomacha-
 lis fermenti energiam infringunt, & im-
 bibunt, uti sunt bolus, lapides, cancri,
 creta, corallia, Mater perlarum, grana
 Kermes, ebur, cornu cervi ustum, ter-
 cione quædam sanguineo. S. M. R. A. S.

ra Catechu; pulvis absorbens Wedelij, &
plura alia.

Parem effectum etiam praestat pulvis
antifebrilis Crollij, tutissimum in febribus in-
termittentibus remedium, praesertim si
more Practicorum Viennensium admi-
scerantur magisteria corallorum, Matres
perlarum, oculorum cancri, & alia; hic
quanquam multi existimant paroxysmum
isto pulvere ideo auferri, quia per sudor-
em, & urinam miasma febrile eliminatur.
Ego tamen salvo aliorum iudicio puto,
hoc provenire, quia succus acidus pan-
creatis in ductibus lateralibus stagnans,
acrior redditus, una cum humore bilio-
so ex cholydocho ad intestinum duode-
num confluente, per hujus pulveris ab-
sorbentis correctionem, suis viribus, &
acrimoniâ fermentativa privatur, unde
postea & effervescentia, & paroxysmus
collitur. Quod autem sudor subinde con-
sequatur, contingit per accidens, nam
natura tali peregrino hoste in intestinis
prostrato, armisq; destituto, redditur
fortior, ac omnes denuo vires recolli-
git, ut reliquam hostilitatem extra fe-
brilem focum in massa sanguinea adhuc
latitante in corpore eliminet, modo
per

pèr sudorem, modò per urinam, aut etiam secessum; deniq: pro humorum & cochylicorum vergentia, ac meatuum laxitate, & dispositione. Et hæc de terra acidularum insipida.

Unde hisce acidularum ingredientibus obiter, & separatim examinatis, unusquisq; facile inseret, si tanta emolumenta medicinæ præstent separatim sumpta, beneficio artis præparata, quid non præstabunt? si in terræ visceribus optimâ qualitatum symmetria continentur, & à natura ipsa, tanquam optima artis magistra (quàm omnes artifices imitari satagunt) in proprio græmio præparentur, & perficiantur. At si contingat, quod unum minerale puta vitriolum, acrimoniâ suâ corpori humano esset nocivum, illud per alia, v. g. Martem, sulphur, & terram insipidam sapientissimè corrigit, ut postmodum resultet concretum innoxium, & ægrotantibus saluberrimum remedium.

Ut autem in specie pauca de acidularum Roitschenium qualitatibus reliquis dicantur; Experientiâ constat, eas refrigerare, exsiccare, aperire, penetrare, attenuare, crassa dissolvere, volatilia præcipitare, & figere, humorum acri-

moniam corrigere, abstergere, subad-
 stringere, viscera roborare, insensibili-
 ter, & sensibiliter, tam per alvum, quam
 vesicam, & cutis poros excrementa eli-
 minare, & expellere, unde earundem
 usus celeberrimus est intemperiè calida,
 & humida, viscerum alteranda, febribus
 exceptâ hecticâ curandis, humoribus vi-
 scosis incidendis, ac volatilibus, & acri-
 bus infringendis, & figendis, tandemq;
 per varios meatus avacuandis. Item in
 obstructionibus hepatis, lienis, pancrea-
 tis mesenterij, & renum reserandis, uri-
 nis, & arenis expellendis, mensibus pro-
 vocandis, & sistendis, gonorrhæis ab-
 stergendis, & consolidandis, lumbricis e-
 necandis, & alijs sexcentis infirmitati-
 bus, de quibus postea particulariter de-
 quovis morbo dicetur fusiùs. Videntur
 itaq; aquæ istæ ad tartarum vitriolatum
 multum accidere, qui à quibusdam di-
 gestivum universale, & medicamentum
 polychreston dicitur, quia æquè salini-
 xum, seu ex alkali, & acido composi-
 tum in se continent, hinc non solum ad
 bilem, sed etiam phlegma, & melancho-
 liam corrigendam maximarum sunt viri-
 um, quæd manifestè apparet, si ex cumil
 bile

bile viscidæ bubula comisceantur, ubi tam visciditas, quam amaritudo multum infringitur, & corrigitur.

Magnificus, & Clarissimus D. D. Serbait magnus Rouschensium aquarum Encomiastes, in consilio hypocondriaco Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. Francisci Augustini Comitis de Walenstein: in praxi sua Medica Editionis ultimæ pag. 172. de his aquis ita loquitur: Tanta est earum efficacia in curandis quartanis, colicis, hypochondriacis affectibus, ictero, contractura (expertus hac scribo) ut reliquis palmam facile præripiant: Addit postea pag. 534. Eadem ad plura utiles esse, nempe ad impetigines, lichenes, scabies etiam Gallicas, ad passionem Iliacam, ad vomitus diuturnos & incurabiles. Hæc ille. Et quid mirum, tantam ijs laudem in hisce, & plurimis alijs infirmitatibus à Practicis attributam esse? siquidem ad mentem Galeni, citò, tutò, & jucundè suas operationes perficiunt. Citò: dum æstum febrilem subitò extingvunt, & paroxysmum colicum incantamenti instar compescunt; Tutò: dum tanta ægrorum copia, tam senum, quam juvenum, ad innumerorum morborum curationem, & præservationem securissimè adhibent; Jucunde tandem, dum hæ aquæ faucibus gratæ, lin-

guæ acceptabiles, & ventriculo non ini-
micæ tantum purgando, & alterando
præstant, quām purgantia alia medica-
menta, odore fætida, sapore nauseabun-
da, ac in omnibus abominabilia. Imo
præ omnibus pharmacis alijs tam purgan-
tibus, iquām alterantibus speciali hac
gaudent prærogativa, quod fames toto
potationis tempore, ut plurimum non
prosternatur, uti solet fieri in alijs cor-
poris evacuationibus; sed interdum ob
intensiorem fermenti stomachalis aciditi-
tatem adeò augeatur, ut alimentorum
quantitas, ne ventriculis nimium aggra-
vetur, sit corrigenda, & minuenda. Et
hæc de aquarum nostrarum facultatibus
breviter dicta sufficient.

CAPUT XVIII.

De usu Acidularum.

Hic apud diversos varius est, yide-
licet, vel *culinaris*, quando aut
pro potu ordinario, aut pro
concoquendis cibis, præparandis cerevi-
lijs, paneque pinsendo, loco fermenti
interviunt, aut ut refert *Thürneisser* aceti
vicem

vicem apud quosdam populos subeunt.
Vel *Medicinalis*: Et tum usurpantur, vel
interne, vel externe, & utroque modo
vel universaliter, vel particulariter. In-
terne universaliter dum bibuntur, particulariter
vero, dum immituntur in aures, oculos,
os, meatum urinarum, matricem, inte-
stina, ulcera, fistulas, & vulnera; Quorum
exempla varia apud Authores prostant.

Sic per acidulas spadanas teste Hen-
rico ab Heer in *spadacrene* pag. 67. vermein in
aurem ingressum revocavit, & eduxit.
Ad debilem vero auditum Bolmannus suas
Pyrmontanas adhibuit in descriptione
earum pag. 65. similiter ad ophthalmiam
ab ijsdem Authoribus recommendantur,
& laudantur. In os per modum garga-
rismi sumendas suadet Clarissimus D. D.
Hertod in tartaromastige pag. 105. aquas suas
penes pagum Nezdenice scaturientes, pro-
arida, & nigricante lingua in febribus,
columellæ inflammatione &c. Item ad
dentes vacillantes, & gingivarum affectus
fructuose adhibentur Schwalbacenses te-
ste Joanne Horstio in earum descriptione pag. 37.
In meatum urinarium, & virgam virilem
per syringam injectæ, ulcera carunculas,
& gonorrhœas curant, quod testantur

Spadanæ apud Henricum ab Heer pag. 62.
 Idem etiam præstant in fluore albo, sterilitate ac alijs malis tollendis, sini cavitatem uteri per metrenchiten injiciantur, uti idem refert pag. 64. & 68. In forma clysteris laudat Clarissimus D. D. Hertod loco suprà citato pag. 106. acidulas Zachrovicenses Moraviae ad curandam dysenteriam, & colicam.

Externe universaliter adhibentur, dum inserviunt balneo totius corporis: Particulariter, dum certæ alicui parti, vel per modum stillicidij, vel per modum fermenti applicantur, & quidem in forma liquoris, & vaporis. Similiter lutum acidularum ad leniendos dolores, ulcera antiqua, tumores ædematosos, cancros, tophos, polypos, fistulas, scabies &c. adhibet Bolmannus in Pyrmontanarum acidularum descriptione pag. 65. & Ramlovius pag. 101. d. 147.

Quæritur nunc, utrum istis enarratis modis etiam nostræ acidulæ usurpandas sint? R. Multis, etsi non omnibus haec nus esse eas jam usurpatas, ac experientia comprobatas. Et quidem usui culinario inserviunt, dum incolæ eas pro potu ordinario solent adhibere, excepto anno 1685. ut supra dictum, ubi pauperes, ne fa-

fames adhuc magis excitaretur, ob san-
nonæ caritatem coacti sunt usque ad mes-
sem ab ijsdem abstinere. Præterea adhi-
bentur pro pane pinsendo, qui etsi ut-
cunque fermentetur, nihilominus tamen
non tam porosus, & levis est, quam alius
fermento vulgari præparatus, & pistus.
Cæterum utrum pro concoquendis cibis
etiam adhibeantur, nihil experiri potui,
ipsemet quidem carnes in ijs coxi, nec
quidquam notatu dignum, præter fæces
albas, & saporem non adeo gratum in-
veni.

In usu medico interno laudes prima-
rias merentur, dum bibuntur, de quo po-
tissimum in hoc tractatu agitur. Inter-
dum etiam particulariter internè adhi-
bentur: Sic suasi sæpius febricitantibus
ad linguam, & fauces nigricantes, ubi ob
vitriolum, & nitrum tantum præstiterunt,
quam si aceto aquæ mixto, aut lapide pru-
nella soluto os colluissent, & a sordibus
purgassent. In oculorum inflammatio-
nibus vidi semel à quâdam fæmina, prævijs
tamen, per purgationes, venæsectiones,
& vesicatoria institutis revulsionibus, &
derivationibus feliciter adhibitæ esse:
Nec acidorum salium acrimoniam timenda

est, siquidem vitriolum album, in convenientibus liquoribus solutum s^epe, & friduose præscribunt practici.

Similiter ad sordes dentium abstergendas, eosq; dealbandos, gingiv asq; laborandas a nonnullis benè usurpantur, & videtur esse ad mentem Cratonis, qui Consilio & lib. referente Thoma Burneto in suo thesauro Medicinæ practicæ, inter omnia, quæ dentes præservant a putredine, & dealbant, maximè commendat oleum vitrioli aqua communi dilutum, cui acidulæ nostræ aliqualiter sunt analogæ.

In formal clysteris vidi eas Viennæ usurpari a Clarissimo D. D. Czaschelio Ar- chiatro Cesareo pro compescendo, paroxysmo colico, quod & hic in affectibus eiusdem, & nephriticis nonnunquam feliciter practicatum est.

In balneis etiam magnus usus est, præsertim in scabie, & alijs vitijs tollendis, ubi per sua salia multum abstergunt, & exficcant. Nonnulli, etiam in doloribus colicis, & nephriticis solent adhibere; Mihi narravit vir fidelis dignus, se hoc balneo in ictero ad flavidinem corporis discutiendam feliciter usum esse, quod facile credo, cum eundem effe-

effectum ipse met in declinatione sickeri
per acetum lateribus ignitis affulum
Viennæ in Renodochib saepius viderim;
Particulariter externè interdum
usurpantur ad scabiosas manus, vel etiam
in pedilavijs ad lassitudines, & dolores
mitigandos; similiter in phlegmone non
nulli applicant, ast debet fieri principios,
dum causa morbifica repellenda est, quo
tempore practici nonnunquam feliditer
spongiam exycrato imbutara solent am
ponere. Eodem modo adhibetur ju
tum acidularum, à vicinis rusticis ad
varios pedum tumores curandos, &
scabies tollendas. Isti itaque sunt modi
in usurpandis nostris acidulis, quos vel
à viris fide dignis audivi, veletiam ipse
met præscripsi, & expertus sum, plu
res adhuc tentaturus, si fata mihi vitam
diutius concederint.

CAPUT XIX.

*Utrum convenient acidula no
stra in febribus continuis.*

Um de natura, & viribus nostra
rum aquarum multa jam dicta
sunt, restat nunc, ut etiam à
genericis

in genericis ad specifica descendam, &
imperseruter, quali scilicet morbo in spe-
cie sint adhibendæ, vel ubi vitandæ.
Cum autem febres in hisce terris sunt
frequentissimæ, ab ijs etiam feci exor-
diūm, seclusā hēticā, cui minerales
aqua magis nocere, quām prodesse,
jāmo dudum & à priori, & à posteriori
demonstrāunt Medici; Quæritur itaque
hīc solum de intermittentibus, & conti-
nuis febribus, de his in præsenti, de illis
sequentī capite pauca dicentur.

Usus aquarum nostrarum Roitschen-
sium in curandis continuis febribus apud
multos adeò communis est, ut ægri
quocunque etiam calore præternaturali
vexati, ad has tanquam ad sacram an-
choram confugiant, ubi etiam exopta-
tus effectus, dumodo adhibenda lege
artis adhibeantur, & vitanda vitentur,
sæpe sæpius consequitur. Methodus
autem ista non solum apud nostros, &
hujus fontis incolas in æstimatione est, sed
etiam passim practicatur alibi, & appro-
batur à Magnifico, & Clarissimo D. D.
Sorbait, qui in praxi sua Medica edit. ultim.
frat. 13. cap. 8. pag. 286. clare satetur mul-
tos à Causonide hisce potatis Viennæ
liberatos

liberatos esse. Addit insuper in observationibus suis cap. 10. pag. 534. Roitschense
hos latices in curandis febribus facile reliquis palli-
mam præcipere. Et quid mirum? Si enim
horum morborum , curam juxta principia
Galenica & chymica paulò accuras-
tius examinemus , videbimus acidulas &
omnia præstare , quæ ad hanc sunt ne-
cessaria.

Nam primum Intemperiem calidam resi-
frigerant , uti Galenus aquâ communis
frigidâ synochos curaverat , neque hic
hypochondriorum inflatio , obstructio ,
hydrops , ac alia mala , uti senectus lib.
cap. 7. de febribus , bene denotat , sicut in
aqua vulgari timenda sunt , siquidem
acidulæ omnia viscera subito transeunt ,
ac humores exorementitos crassiores
per alvum , aquosiores per urinam , &
subtiliores per sudorem , ac insensibilem
transpirationem secum arripiunt.

Secundo , putredini resistunt. Si enim
vitrioli , sulphuris , ac reliqui acidi spiri-
tus in aquam fontanam instillati à Riverio
cap. 1. de febribus putridis. Ad eas curandas
potissimum recommendantur , & etiam
in his locis quotidie felici cum successu
adhibentur , multò magis proderunt
nostræ

molliæ aquæ, præsertim cum vitrioli
acrimoniâ à sulphure, alijsq; ingredien-
tibus obtunditur, & in terræ visceribus
corrigitur. Imò putridos humores non
solùm ratione salium acidorum, sed
etiam ratione sulphuris per sudorem,
& insensibilem transpirationem elimi-
nat, prout apparet in balsamo, floribus,
& alijs ex sulphure præparatis, ac ad
hanc intentionem medicamentis usita-
tissimis.

*Sups. iur. de laudis et
sod. Tertiò continuam sanguinis ebullitio-*
nem, & effervescentiam impediunt, dum
enim in massa sanguinea ob acres alkali-
cas sulphureas, ac volatiles bilis parti-
culas, quæ cum vitiata lympha, & suc-
co pancreatico impetuosum, ac violen-
tum motum ineunt, magna excitatur ra-
refactio, optimum effectum præstant no-
stræ aquæ, nam ab acidis salibus fixis
quæ Roitschensibus fontibus copiosè in-
sunt salia volatilia alkalia teste Magnifico,
ac Clarissimo D. D. Illmer Archiatro Cesareo
in institut. suis M. S. tract. 1. cap. 15. A fugas
detinentur, præcipitantur, infringuntur,
præparantur, ac tandem eliminantur.

Verùm etsi plurimùm boni præstare
in similibus casib; eas, quotidiana do-
ceat

Cet experientia, attamen absolute &
 indifferenter adhibenda non sunt, isod
 benè examinandum est, utrumq; ætas, &
 vires consentiant, aut utrum aliud iadis
 contra indicans; alias fieri posset, quod
 calor nativus, jam antecedenter debili-
 tatus, totaliter extingueretur, & suffo-
 caretur. Præterea medicinae trutinæ be-
 nè ponderetur an febres sint primariæ,
 an verò symptomata? si enim depen-
 dent, vel conjunguntur cum pleuride,
 perineumonia, hæmoptysi, dysenteria,
 sanguinis mictu, renum, & vesicæ fulce-
 ribus, de quibus in specie aliquid dicetur,
 tutiùs est ab hac cura manum amovere.
 Quæritur nunc, quantum, & quo-
 modo bibendum sit? R. minorem in his
 morbis quantitatem eligendam esse
 quam in alijs, si enim duas, tres, aut qua-
 tuor mensuras biberent, necessario per
 alvum purgando operarentur, ex quo
 facile posset evenire, quod humores in
 toto corpore irritati, malum augerent,
 præsertim præsente magnâ cacockymia.
 quam etiam per prævia medicamenta.
 cathartica tollere non licet, dum mo-
 derni practici fortia purgantia in simili-
 bus affectibus, non nisi in declinationes
 scilicet

volunt admittere. Præstat itaq; minoris
dosis eas adhibere, non ad purgandum,
sed ad alterandum, & alvum laxam ferendam
quemadmodum decoctum tam
riñdorum, aut Iulapia spiritu vitrioli, &
sulphuris acidulata, in hunc finem passim
præscribuntur à Medicis.

Si hoc modo ista quantitas observe-
tur, omni morbo tempore porrigenda
sunt, si vero per eas vera purgatio inten-
ditur, ante declinationem vix aliquid
tentandum; verum vires, cæteræq; cir-
cumstantiæ ritè perpendantur; neq; imi-
tandi sunt incolæ huic potui à cunis as-
sueti, qui in quocunq; febrili calore, ac
siti ad srietatem absq; periculo se se in-
gurgitant; ast ab assuetis nulla fit passio,
neq; ulla humorum irritatio in ijs timen-
da est.

CAPUT XX.

*Utrum in febribus intermit-
tibus locum habeant?*

DE febrium Intermittentium foco,
seu loco febrilis miasmatis cer-
tis i horis reviviscentis, & pa-
roxismum producentis, magna apud Au-
tho-

thores habetur controversia: Veteres pleriq; venarum Mesaraicarum, Recentiores vero ductuum lateralium in pancreate obstructionem statuunt, alij alia somniant. Seclusis itaq; hisce Theoriæ ambagibus, parùm aut nihil methodum medendi variantibus, solummodo dicendum est, quod hæ acidulæ in similibus morbis, præsertim tertianis, simplicibus, & duplicitibus exquisitis, ac spurijs, optimo cum emolumento apud nostrates adhibeantur. Dandæ autem sunt die intermissionis, si attenuatio, præparatio, & evacuatio humorum intenditur; subinde etiam conceduntur die accessionis, sic vidi in dupli tertiana, postquam corpus satis per purgationes præparatum fuerat, sex horis ante paroxismum à Magnifico, & Clarissimo D. D. Illmer cum effectu bono præscribi. Nostrates nonnunquam eas feliciter bibunt in declinatione paroxismi, quemadmodum Julapia spiritibus acidis acuata tunc temporis passim admittunt Practici, & profectò haud infelici eventu, quippe febrilis ardor ijs contemperatur, sitis extinguitur, ac tandem per unam, alteramvè alui excretionem corpus à biliosa cacochymia liberatur, &

videtur hic modus esse ad mentem Horstij,
qui lib. 1. observat. 12. Refert de quodam no-
bili, quem Schwalbacenses aquæ in fine
paroxismi aliquoties assumptæ, à tertiana
notha ex integro liberârunt.

Cavendum tamen est, ne in summo
paroxismi vigore, præsertim in magna
quantitate administrentur, quoniam fa-
cile accidere posset, quòd pessima exci-
tarentur symptomata, siquidem omnis su-
bitanea mutatio à contrario in contrâ-
rium, periculosa semper ab Aristotelicis
animadversa est.

Dixi superiùs, hanc curam corpore
præparato incipiendam esse, secus enim
contingere posset, quod ante paucos an-
nos cuidam Religioso contigisse, hujates
referunt; hic salvus, & in columis cum
socio suo febricitante, nostras aquas se-
cundùm artem potaturo, comitivam huc
dederat, atquè curam absq; prævijs cor-
poris evacuationibus, curiositatis solum-
modò gratiâ inchoaverat; ast dispari e-
ventu: Æger enim harum aquarum ope-
se à febri liberavit, quàm sanus per eas-
dem, sed illegitimè assumptas, contra-
xit. Similes casus ipse aliquoties obser-
vavi, ubi ex præpostera ista bibendi me-
tho-

thodo, ex tertianis simplicibus duplices, cum maxima symptomatum invasione excitatæ sunt.

Quòd autem istæ acidulæ, ritè nimis rùm adhibitæ, acore suo, cæterisq; viribus, tantùm in febribus præstent, facile liquet, quoniam medicamenta acida in hunc finem quotidie cum bono effectu adhibentur, & passim recommendantur ab Authoribus: Sic Riverius in *praxi Medica*, lib. 17. cap. 13. in tertiana lagitima spiritum sulphuris in aqua portulacæ, Grulingius in *Florilegio suo Hippocrateo-Galeno-chymico* pag. 462. potionem febrilem ex spiritu vitrioli, aqua cichorij: &c. compositam: Mysichtus in *armamentario medico-chymico*, arcanum duplicatum, alumen tintatum, alij cremorem tartari, & plura alia spiritibus acidis imprægnata pharmaca summis extollunt laudibus; attamen nostræ acidulæ, utpotè à natura ipsa interræ visceribus nobiliori methodo producuntæ, medicamenta antè præposita longè superant, dum incidendo, referando, & præcipitando effervescentiam à bilioso humore, & succo pancreatico in intestino duodeno exortam compescendo, totum febrile miasma extinguunt, & eliminant.

Qui plura desiderat, legat Clarissimi
Giurij Arcani acidularum cap. 10. pag. 98. qui
 se se aliquoties à tertiana notha, ope a-
 quarum Pruvinæarum liberatum, atquè
 ab alijs morbis, quos infallibiliter ventu-
 ros timuit, diù præservatum fuisse liber-
 rimè fatetur.

Febrim quartanam quod attinet, ple-
 rumquè Medicorum opprobrium, & scan-
 dalum dicitur, & quidem eò magis ridet
 conatus Medicos, quò pertinacioribus ob-
 structionibus nititur. Nequè in hoc affe-
 ctu lien semper inculpandus est, nam vi-
 di ante quinque annos Viennæ cum Ma-
 gnifico, & Clarissimo D. D. *Illmer* in ca-
 davere cujusdam viri, qui Leopoli ex
 Hungaria redux, diu quartanâ afflictus,
 ac tandem superveniente intestinorum
 sphacelo, extinctus fuerat, quòd salvo
 utcunquè liene, hepate, & mesenterio,
 tota malorum lerna in pancreate extite-
 rit, quod plurimis viscidis, & induratis
 humoribus, præsertim quò ad laterales
 ductus ubique ferè in fartum invenimus.

Pertinacissimæ tamen istæ obstruc-
 tiones plurimùm reserantur per nostras aci-
 dulas, quapropter eas non immeritò ad
 quartanas *Carolus Ubelbacher* specialiter re-

com-

commendat. Cui consentit etiam Magnificus, ac Clarissimus D. D. Sorbait, &c. in suis observationibus cap. 10. in hunc scopum valdè eas extollens, quod & ipsem in aliquot febricitantibus expertus sum, taceo reliqua, unum adhuc pro coronide addo, quod suprà citatus Giurius curatis per hunc usum jam duorum, & trium annorum quartannis, in suo arcano pag. 90. nimirum acidulas Pruvinaeas, deprædicans ita asserit: *Nunc ad Peruvium remittenda est radix chinachinæ, quæ non tam certò quartanam fugat, quam nostræ aquæ, quia præterquam, quod illa multum calefacit, febris redditum non prohibet, &c.* Ex quo acidularum vis corroborans specialiter appareat, dum in hisce morbis chronicis viscera jam ener-vata, & flaccida creduntur fuisse.

CAPUT XXI.

*De cerebri affectibus, quibus
acidulae conveniunt.*

Quanquam Bollmannus in tractatu de acidulis Pyrmontanis cap. 9. pag. 33. Eas tam curationis, quam præ-servationis gratiâ in apoplexia videtur

admittere, è nostratis tamen adhuc nemo, quantum experiri potui hactenus inventus est, qui pro hoc scopo Roitschenses tentasset administrare. In primis enim hic affectus, ut plurimum est frigidus, cui acidulas non convenire, fusè declarat Magnificus, & Clarissimus D. D. Illmer in *institut. Medicis tract. i. cap. ii.* Accedit insuper, quòd ætas senilis huic malo maximè obnoxia, cùram etiam impedit: imò sæpè læpiùs eas nocuisse testatur experientia. Sic Principem *Wilhelnum Lantgravium Hassiae* ex acidulis reducem, apoplexiā concidisse, & apertā calvariā plurimum aquæ cerebrum diluentis inventum fuisse, scribit Clarissimus *Rofincius Method. special. pag. 144.* Similiter etiam sexagenarium *Canonicum*, ac plures alios in ipsa potatione correptos, & apoplecticos perijisse, commemorat *Henricus ab Heer in observat. pag. 15.* Eodem modo per nostras acidulas catarrhi graves, torpores, memoriæ debilitates, & plura mala inducta sunt teste Clarissimo *Adamo à Lebenwaldt*, si potatores tam annorum numero, quàm phlegmatis copiâ onerati fuerint.

Nihilominus tamen præservationis gratiâ in hominibus sanguineis, & cholericis, qui apoplexiam sanguineam timent, sapienter suadet acidulas Clarissimus Eberhardus Gockelius in suis consilijs, & observationibus medicinalibus pag. 337. eò quod fervor sanguinis compescatur, & viscera calidiora contemperentur. Signa autem, quæ apud cholericos, & sanguineos apoplexiam præcedunt, citatus Author sequentibus denotat: *Sano adhuc corpore facies est rosacea, & rubicunda, frons, & venæ oculorum turgent, ad vertiginem sunt proni, memoria est labilis, facile inebriantur, ac confestim, antequam alij animadvertunt, prosternuntur; Et hæc apoplexia omnium est periculosisima.*

Paralysin maximè illam, quæ germana colicæ biliosæ in Austria, & Styria soboles appellanda est, non solum præcavent nostræ aquæ, uti Clarissimus, ac Magnificus D. D. de Sorbait in suis observationibus pag. 534. denotat, sed etiam actualiter jam introductam, ut plurimum tollunt, nec mirum! quia acidulas Pruvinaeas, Pyrmontanas, ac Schwalbenses in potu, & balneo adhibitas idem præstitisse, Giurius, Horstius, Bollmannus, & plures alij hydrographi confirmant.

In Epilepsia etiam locum habere possunt, si ea ab humoribus biliosis ex fervido hepate, alijsque visceribus elevatis per sympathiam trahat originem. Sic vidi Viennæ in viro 30. annorum, biliosæ complexionis eas feliciter ad præcavendos insultus, & præcipitandam causam morbificam esse adhibitas. Cautela tamen hic opus est, ne perniciem earum administrationem, præcipue in malo Idiopathicō, vapor, & materia acris exasperetur, ac postmodum de novo, uti vult *Willis in pathologia cerebri cap. 2.* Spirituum animalium consequatur rarefactio, explosio, & nervorum convulsio.

Similiter in mania etiam magnopere profuisse testatur illa puella apud *Bollmannum de acidulis Pyrmontanis pag. 32.* Quæ per campos in rabie diu vagabunda, tandem usu acidularum ex integro restituta fuit. Sic vidi ipsemet Roitschen-fes has medicatrices aquas in Illustrissimo quodam Domino simili morbo affetto à Magnifico, & Clarissimo D. D. *Jordan Archiatro, & Consiliario Cæsareo* pro contemperando spirituum animalium fervore ante 9. annos Viennæ præscribi.

Ten-

Tentanda tamen ejusmodi cura non est, ubi viscera nimis sicca, prout inventit Clarissimus *Theophilus Bonetus* in suo *sepulchreto* pag. 181. aut ubi meningum putredo, ut vidit *Felix Platerus* *prax. lib. 1. cap. 5.* aut alia contraindicantia se se insinuant.

Cæterum in dolore capitis, vertigine, ac alijs symptomatibus bilance medica benè examinandum est, utrum hæc mala orientur per Idiopathiam à cerebro, aut foveantur ab hepate, lie-ne, ventriculo, ac alijs visceribus cacochymicas suas exhalationes continuò sursum mittentibus; Si itaque invenitur ultimum, profectò optimò cum emolumento per acidulas arcentur hæc meteora microcosmica, præsertim si pars mandans, intemperie calidâ, obstructione, alioyè hâc methodo curabili affectu laboret. Sic Magnificus, ac Clarissimus *D. D. de Sorbait* in sua *praxi edit. ultima pag. 3.* refert se sæpiùs periodicos gravissimos capitis dolores tali modo ex toto sustulisse.

Si verò dolor sit Idiopathicus v. g. si oriatur ab ulcere cerebri uti observavit Magnificus, ac Clarissimus *D. D.*

mer in observat. miscell. curios. anni 1670. aut proveniat ab humore acri , meninges erodente , uti deprehendit Paucius obser- vation 8. aut ab alia humorum qualitate peccantium , ac in ipso cerebro existen- tium copia trahat originem , harum aquarum usu est supersedendum , & cura pro Indicantium variatione varianda.

CAPUT XXII.

Utrum nostra aqua in affecti- bus pectoris convenient?

Ouanquam medicamenta acida in phthisi juxta communia Galenicorum dogmata ut pluri- mū exulant , nihilominus tamen non nulli è Recentioribus inventi sunt , qui ea mirè recommendant ; Sic secundūm Grülingum in florilegio part. 17. cap. 1. oleum , vel spiritus sulphuris per campanam præparatus , in phthisi , asthmate , san- guinis sputo , catarrhis suffocativis , alijs- què pectoris affectibus , in convenienti- bus vehiculis administratus suam laudem obtinet . Eodem modo putredo in ul- cere pulmonum optimè dicitur acidis vola-

volatilioribus inhiberi, & corrigi à Johanne Helfrico Jüncken in suo Medico præsentis sæculo accommodando part. 2. sect. 1. cap. 12. pag. 595. Adducit insuper exemplum Höchstetterus in decad. 3. observat. 10. Curatæ nimirum diarrhææ in phthisico, ab acidulis, suasquè quas describis Wildungenenses acidulas in phthisi valdè utiles esse, idemquè quod lac asinæ præstare dicit Ellenberger in descriptione earum cap. 2. Clariss. Paulus Barbetta in sua praxi lib. 3. cap. 2. de phthisi pag. mihi 91. ita loquitur. hoc saltem addo, me contra omnium forte scriptorum practicorum sententiam acidis temperatis felicissime usum. Ratio patet ex præscriptis: Dulcia acidis non temperata cum multis alijs observavi, agris semper, ad minimum plerumque obfuisse. Fortis cons. 34. centur. 2. & Cons. 20. refe-rente Boneto in Mercurio pag. 554. ad acidulas vitriolatas tanquam ad sacram anchoram recurrit, docetquè per eas flaccidos pulmones, imò & ulceratos mirabiliter consolidari, exsiccari, & roborari.

Verùm enim verò, si experientiæ, quæ optimus profectò est Medicus fides danda est, videmus nostras aquas in simili confirmato affectu, ut plurimum nocuisse, & necem opinione citius ad-huc

huc accelerâsse, & quamvis primâ fronte ; Vi refrigerandi , quâ febri adversantur : Siccatoria , quâ catarrhos arcent ; Abstensoria , quâ ulcus mundificant , congruæ videantur , nihilominus tamen , si accuratiùs omnia perpendantur , inuenimus tandem , tutius nos procedere , si ab ijs abstineamus , nam sæpe alui fluxus , ab *Hippocrate. s. Aphor. 16.* pro lethali habitus , per eas excitatur , tussis exasperatur , acrimonja erodens in ulcere augetur , corpus universum magis , ac magis exsiccatur , tandemquè vitæ epilogus introducitur .

Similiter etiam in atrophia , ac febri hectica , ut superiùs dictum est , amat fieri , attamen si atrophia ab obstructiōnibus pendeat , possunt acidulæ , & medicamenta acida , dummodo alia non adsunt contra indicantia , locum habere , ob insignes , quibus pollut , aperiendi , attenuandi qualitates ; Sic vidi **Viennæ pictorem** aliquem summâ totius corporis atrophiâ correptum , qui dum cura lactis , balneo aquæ dulcis , alijsquè remedij pectoralibus empyricè ab agyratis incassum curaretur , commisit se Medico dogmatico , hic examinatâ causarum

rum serie, obfæces candidas, & chylo-
fas, ob absentiam tussis, angustiæ pectoris,
& caloris post cibum, statuit mali
radicem esse in obstructionibus vena-
rum lactearum, & glandularum mesen-
terij: Unde adhibitis secundùm artem
salibus digestivis, tartaro vitriolato,
alijsquè ex vitriolo, & Marte præpara-
tis pharmacis, æger ex integro restitu-
tus est.

Plura, qui desiderat, legat *spadacren-*
nem, Henrici ab Heer pag. 53. ubi siccissimos,
& potius viva cadavera, quām homines
usu spadanorum fontium (quibus Roit-
schenses nostri juxta non nullos analogi
sunt) carnosos, & benè habitos evasi-
se, fusiùs commemorat.

In asthmate, peripneumonia, ple-
uritide, sputo sanguinis, tussi catarrhis,
alijsquè pulmonis affectibus, multi has
aqua ob sulphur Martem, & alumem;
Quæ pectori non inimica sunt, solent
adhibere; Verùm lubens admitto non
nunquam feliciter in sanguineis, & bi-
liosis subjectis, dum morbus adhuc re-
cens, & pulmones nondum destructi
fuerunt, neque magna adest humorum
quantitas, à doctissimis Medicis practi-
catum

eatum esse. Sic Clarissimus Gockelius in suis consiliis, & observationibus Medicinalibus pag. mihi 144. suasit in præsentia Medico-rum Ulmensium acidulas cuidam Illustri Domino, ætatis juvenilis, & calcido-rum viscerum pro affectu catarrhoso curando; Nihil minus tamen cautè hic ambulandum, & non nisi circumstantijs bene perponderatis hâc methodo no-tandum est.

Facile enim posset fieri, quod ma-
teria pituitosa quantitativè peccans, &
per acidularum usum fluxior reddita,
unà cum massa sanguinea, lege circula-
tionis ad pulmones advehetur, & ibi-
dem uti vult Schneiderus lib. 3. de catarrhis
sect. 1. cap. 6. ab arteriarum extremitatibus
separaretur, quo facto paroxismus asth-
maticus, senibus, ac frigidis alioquin fa-
miliaris, non solum non tolleretur, sed
etiam malum augeretur, vel catarrhus
suffocativus excitaretur.

Fugiendæ etiam sunt acidulæ in ca-
tarrhis salsa, & tenuibus, in quibus aci-
da & salsa, ut plurimum nocere solent,
prout recenter vidi elapsâ hyeme in quo-
dam seniculo, simili catarrho correpto,
& integrum halecem pro cura devoran-
te,

te, quia fæminam quandam etiam hoc medicamento (ast catarrhus erat à materia viscosa, & tenaci) ex integro curatam audiverat; verùm claudicabat Empyrica hæc paritas, quia ob auctam salivam acrimoniam, tussis, raucedo, aliaq; pejora facta sunt.

In hæmoptysi Clarissimus Joannes Fortis consult. 28. centur. 2. laudat acidulas actu, & potentia frigidas, quales sunt Engaddinæ ad S. Mauritium, à quarum usu verba ipsius referto: non semel vidimus, non solum hæmoptoicos, verùm etiam phthisicos ipsos sanitati restitutos, sunt enim vitriolatae, ideo ad sistendum sanguinem efficacissimæ, & ad siccandos pulmones opportunissimæ, nec ut sulphureæ, & calidæ enascentes caput petunt: Ejusdem facultatis esse ferruntur scaturientes in valle solis agri Tridentini. hæc ille. Verùm etsi tanto viro libentissime credam, similes effectus ab acidulis vitriolatis in Italia secutos esse, nihilominus tamen nostræ Roitschenses aquæ, etiam vitriolo imbutæ, in hisce saltem Germaniæ locis hoc nolunt præstare; utrum autem alibi præstent, dum Venerias, Romam, & ad alia loca transportantur, nondum experiri potui. Existimarem ego potius, quod sputum cruentum

tum intenderent, quām tollerent, prouti refert Helwigius observat. 67. de hæmoptysi ex acidularum Egrensiū potu lethali, Idemq; Clarissimus Schræckius in ejus Scholjs pluribus historijs confirmat.

Pro coronide addo, quid in hisce affectibus sentiat Clarissimus D. Joan. Baptista Wagner, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, Inclitorum Statuum Styriæ Physicus, olim Pettovij, nunc verò Gracij Practicus Celeberrimus Fautor, ac Amicus meus Dilectissimus: Inter cætera enim experimenta, quæ circa nostras acidulas, viginti, & ultrà annis in praxi Medica observavit, & candidissimè tam per litteras, quām ore tenus mihi communicavit, sequentia de verbo ad verbum adjungo: *Magnificus, ac Clarissimus D. D. Paulus de Sorbait. Med. Pract. tract. 7. cap. 10. pulmoniacis ob sulphur solare, & Raymundus Joannes Fortis Consult. Med. centur. 2. in diversis pectoris affectibus, imò in phthisi acidulas, propter vitriolum bibendas suadet: sed ex Roitschensibus nostris nunquam optatum adverti effectum: & quamvis me invito, & dissuadente quidam phthisici eas ad plures dies sumpserint, ij omnes paulo post debitum natutæ persolverunt, qui forsan diutius, etiam annis pluribus, vitam protraxissent. Unum solum asthmaticum, & biliosum senem nosco,*

qui

qui plerumq; in aestate, saepius mane unum, vel alterum cyathum, urgente morbo cum fructu bibit, eo quod urinam moveant, & causam antecedentem revellendo per alia emunctoria evacuent.

CAPUT XXIII.

Utrum prædictæ aquæ adhibendæ sint in heptatis, lienis, aliorum viscerum affectibus.

Quantum acidulæ præstent in viscerum intemperie calida, præsertim hepatis, alteranda & eorum obstructionibus reserandis, non proba indiget, sed apud omnes in confessu est. Nam præter insignes refrigerandi, & aperiendi dotes, etiam hoc speciali gaudent privilegio, quod visceribus deperditum tonum denuò restarent, quod alijs medicamentis sæpè denegatum est; ferrum enim, ut loquitur Clarissimus Adamus à Lebenwaldt, est humoris biliosi domitor, & hepatis depurator, unde non mirum, has aquas martiales, miros sæpè præstare effectus, cùm vitriolum Martis, sal ejus subdulce, Crocus, tincturæ, essentiæ, aliaq; ex

P

Mar-

Marte præparata medicamenta, quotidjè cum fructu ad hos morbos adhibentur, uti experientia testis est. Claris. Platerus quæst. Med. 87. his verbis propositum meum confirmans ità loquitur: *Acidulae in omnibus obstructionibus viscerum, prostrata appetitia, stomachi doloribus, præcipue autem; quibus Illuvies fæda biliosa in venis mesaraicis diu coacervata, & retenta, unde melancholie hypochondriacæ ducunt originem, prosunt, nam earum potu per diarrhæam excitatam, evacuantur subcineritiae, & nigra excrementa, ac inde ab omnibus affectibus liberantur, divinum sanè remedium.*

Præterea locum habent, si obstrunctiones in scirrum degenerent, sic retulit mihi Clarissimus D. D. Wagner suprà citatus, se Scirrhosos bienis tumores post febres relictos (confirmatos tamen non intelligit) vel ex alia causa generatos, in plurimis, etiam in semetipso, hisce Roitschenibus aquis percurasse. Eodem modo vidi etiam easdem aquas pro incipiente Scirrho in quadam fæmina 34. annorum Viennæ præscribi à Magnifico, ac Clarissimo Domino Doctore Czschelio Archiatro, & Consiliario Cæsareo; Plures similes observa-

servationes etiam confirmant Acidulæ
Egranæ, Spadanæ, &c.

Si vero contingat, quod cachexia,
& hydrops ex hac viscerum intemperie,
aut obstructione generetur, acidulæ no-
stræ pro eorum reseratione, & robora-
tione, uti & pro humorum aquosorum
per alvum, & urinam evacuatione re-
commendantur à practicis. Confugio hic
rursus ad verba Clarissimi D. Doctoris
Wagner seduli harum aquarum examina-
toris, & approbatoris, quæ in proximis
litteris ad me dedit. In *cachexia*, inquit,
Et principio ascitis, ex reliquijs febrium causatis,
aut per se, ex bile adustis humoribus, & obstru-
ctionibus ortis, plurimorum recordor exemplorum,
ubi ex methodo plurima fuerint in cassum adhibita:
ultimatim acidulæ Roitschenses per plures septima-
nas medicinaliter potæ palmam reportarunt, &
patientes totaliter restituerunt. Verum hoc
non solum per nostras, sed etiam per a-
lias acidulas præstitum fuisse, passim con-
firmant hydrographi: undè Giurius in ar-
cano acidularum cap. 10. pag. 83. Refert Pru-
vinæarum aquarum ope quendam ab in-
cipiente hydrope ex quartana dupli or-
to ex integro fuisse restitutum. Simili-
ter fæminam ex suppressione mensum

hydropicam, aliosq; Spadanarum usu convaluisse, testatur *Henricus ab Heer* in sua *spadacrene* cap. 8. pag. 65. & cap. 9. pag. 74. Item insignem quendam potatorem hepatis calidissimi per aquas Griesbacenses liberatum ab hoc morbo esse, refert *Plateanus observat. lib. 3.*

Dum verò hydrops jam est confirmatus, aut ab intemperie frigida productus, aut natura nimis debilitata, viscera apostematis, scirrhis, ulceribus corrupta, vasa lymphatica exesa, aut alia se se insinuant obstaculà, nostræ aquæ prorsus sunt omittendæ, nisi in ijsdem navigium, & naufragium ad Acherontem, aut mare mortuum ex professo velles instituere.

Contra Icterum etiam adhibentur à Magnifico, Clarissimo D.D. de Sorbait *prax. Med. edit. 2. tract. 1. cap. 6. pap. 172.* Et se ipsum ex integro restitutum scribit *Giurius cap. 10. pag. 102.* in suo *arcano acidularum.* Unde ait Clarissimus *Theophilus Bonetus ex Thoma Willis in suo Mercurio compilatio pag. 390.* quod acidulæ prognostica relictos interdum ad miraculum usq; sanaverint.

Præstant autem in hoc casu suum effectum acidulæ, viscosam bilem attenuando, & ex ea productas obstructiones ductus

duetūs cholydochī reserando à quibus ante regurgitans ad sanguinem bilis, & per circulationem ad omnes corporis partes in arterijs unā cum illo advecta, flavedinem ijs communicavit.

De viscositate verò bilis hisce aquis attenuanda nullum est dubium; ipse met aliquoties hujus veritatis scrutinium institui, & miscui bilem porraceam bubulam, utcunq; tenacem, cum æquali quantitate nostrarum acidularum, vidiq; viscositatem valdè diminui, dum verò multūm acidularum, & parūm ejusdem bilis sibi invicem mixta ad calorem blandum apponenter, manifestè deprehendi, à sale acidularum incidente, & attenuante, omnem viscositatem auferri; quod, utrūm similiter in corpore humano operi calidi innati peragi etiam possit, valdè probabile, & veritati parallelum est.

Cæterūm cùm icterus non semper proveniat ab obstructione ductuum biliariorum teste Clarissimo *Sylvio de le Boë*, *pract. lib. 1. cap. 46. §. 7. & 61.* Prout in dissectione ictericorum post mortem inventit, sed etiam potest ab aucta bilis tenuitate, & spirituositate ad ritè effervescentium inepta, trahere originem; hanc ob-

causam adhibuit ea, quæ salis lixivii acrimoniam in bile contentam corrigunt. Diversimodè autem juxta illum corrigitur, *primo* per Sulphurea, & mucilaginosa obtundendo (prout ipse per semen cannabis in lacte coctum, & saponem in oleo olivarum, vel raparum solutum plures curâsse refert: *Secundo* per aqua diluendo. *Tertio* per terrestria imbibendo, & *quarto* tandem per acida infringendo. Quare si hypothesis hæc vera est, etiam videntur locum habere acidulæ, etsi non adsit eorundem ductum obstructio, hæc enim aquæ non solum volatilem bilis acrimoniam sua aquositate diluunt, sed etiam suis salibus acidis tam volatilibus, quam fixis infringunt, & destruunt. Expertus est hoc in proprio suo corpore Magnificus, ac Clarissimus D. D. Sorbait, qui in praxi sua Medica edit. 2. cap. 55. de ictero pag. 144. itâ loquitur Anno 1673. circa Kalendas Maij incidi in hemicraniam dolorosissimam sinistri lateris, & simul in icterum, & cum nec urinæ essent tinctæ, nec hepatis adesset scirrhus, nec dolor circa vesiculam fellis, conjeci ipsum icterum nec esse hepaticum, nec felleum, sed potius criticum, eram enim circa annum ætatis climactericum quadragesimum nonum; factis itaq; per apieren-

rientia præparationibus, usus acidularum Roitschensium, & icterum, & dolorem capitis cum summa lassitudine, & defectu totius corporis sustulit ex integro, DEO T. O. M. infinitæ sint gratiae, hæc ille. Clarissimus D.D. Wagner magis adhuc dicta nostra confirmat, & ait: se ab ictero, præmissis scilicet præmittendis, semper per has aquas patientes liberâsse. Modus autem adhibendi duplex est, internus, & externus; de interno, qui potu perficitur jam dictum fuit: Externus autem consistit, in hoc si universum corpus in fine curæ pro discutienda cutis flavedine balneo acidularum committitur, de quo suprà cap. 18. facta jam est mentio.

CAPUT XXIV.

Utrum in affectione hypochondriaca locum habeant?

Quartum in hoc malo hypochondriaco, & melancholico (quod à nonnullis *morbis latinus* ab Illustri & Magnifico Domino Johanne Michæle Fehr Consule & Physico Sünfurtensi, ac Collegij Naturæ Curiosorum

rum Academici Præside : *Literatorum
pedissequa*; à *Liceto* autem &c. *Liceto* au-
tem, & *Magnifico D. D. Sorbait* : *Prima
tonsurā ad stultitiam dicitur* ;) præstent
acidulæ, passim ex Authoribus, & quo-
tidiana experientia constat *Sennertus lib.
1. pract. 2. cap. 17.* *Egranas*, & *Schwalba-
censes*; *Riverius lib. 12. cap. 5. de melanco-
lia hypochondriaca*: *Meynenses*, & *vallen-
ses*, alij alias recommendant. *Gockelius
in suis consilijs, & observationibus medicinalibus
pag. 182.* acidulas, si ex fonte bibuntur,
pro optimo, & palmario remedio suasit
cuidam hypochondriaco ventriculi in-
flatione divexato. Ego hic me opinio-
ni *Magnifici D. D. Sorbait* Iubens subscri-
bo, qui in *observationibus suis pag. 534.* ut
suprà dictum, asserit: *Roitschenses aquas in
obstructionibus hypochondriacis palmam reliquis
facile præripere, easque loco medicamentorum ex
Marte præparatorum, quorum siccitas subinde
suspecta est, supponendas esse.* Clarissimus
D. D. Wagner sæpè jam citatus, in pro-
ximis ad me datis litteris ità de hoc
malo sentit: *In affectu, inquit, Hypochon-
driaco, hoc fonte medicato, per duas, & tres
septimanas, in quantitate circiter duarum men-
surarum singulis matutinis hausto tam in curatio-
ne,*

ne, quam præservatione multum præstis. In illa pro curæ compleimento, in hac præmissis universalibus præbui.

Morbus enim iste est chronicus, & pertinacissimus, ex dyscrasia viscerum tenaces, & minùs volatiles humores generantium trahens originem; Hinc fit, quòd leviora pharmaca rideat, fortioribus verò exasperetur: Et quamvis unum symptoma demulceatur, mox plura, uti in Arcadia Lerna, repullulant, quæ vix ullis remedijis nisi herculeo gladio, id est, acidulis nostris, amputari poterunt. Hoc autem efficitur, dum salia sylvestria sanguinis, ut docet Clarissimus Hoffmannus in clavi *Pharmacæuticâ Schræderianâ* pag 144. corrigunt, scorias tartareas ex lactice, & massa sanguinea evertunt, viscerum infartus destruunt, & tandem partibus suum tonum restituunt.

Multi inveniuntur, qui hypochondriacos ructibus, & vomitu acido, aliquando divexatos, totaliter ab acidularum usu arcere satagunt, timentes, ne hoc modo acidi humores in corpore augeantur, & malum exasperetur. Adducunt insuper Hippocratem 3. de victus ratio-

ne in acutis textu, 38. ubi acetum humoribus melancholicis, & lienis, ac ventriculi affectibus nocere statuit. His etiam consentit *Sylvaticus Conf. 63. cent. I.* Inter alterantia, inquit, non possum non laudare acidulas, jam experientia probatos ex usu; Præstat enim medicamentum expertum non experto: Quanquam in affectibus melancholicis ego libenter abstineo ab omnibus aquis mineralibus.

Verum contrarium evincit experientia eorum, qui hoc malo correpti in his terris tam curando, quam præservando, singulis annis hanc curam, præmissis tamen præmittendis, repetunt, & optimum levamen sentiunt.

Sciendum insuper est, unum acidum ab altero posse corrigi; sic si humoribus acidis, præsertim sale volatili destitutis, ob viscerum obstructiones, & tartareorum humorum copiam ordinarius fluxus denegatur, ijs per acidulas optimè succurritur, quæ intimos meatus corporis penetrantes, vitiosos, acidos, austeros, aliosq; heterogeneos humores secum arripiunt, ijsdem saturantur, & tandem factâ sufficienti saturatione ex corpore evacuantur unâ cum excrementis atro colore tinctis, quemadmodum in alijs medi-

medicamentis chalybeatis fieri solet, & habetur hæc nigredo à Clarissimo *Wedelio pharmac.* pag. 114. pro bono signo, & medicamenti actuacionem, ac operationem denotat.

Præterea fermentum ventriculi, quamvis acidum, non tamen in tali casu satè spirituosum, per nostras acidulas plurimis spiritibus turgentem, ut suprà dictum est, hoc modo magis volatilisatur, & exaltatur, quo facto alimenta in ventriculo, tanquam æquissimo chyleos Præside concoquuntur, & corporis vigor denuò renascitur.

CAPUT XXV.

De renum, & vesica affectibus.

Quod nephriticis, & calculosis optimè harum aquarum usus conducat, testatur Clarissimus *Nicolaus Franchimont*, Pragæ olim Medicus celeberrimus, qui in lithotomia sua Medica recommendat illa diuretica, quæ vim habent citra insignem calorem incidendi, attenuandi, penetrandi, & abstergendi, unde acidulas Spadanas, Egranas, Schwalbacenses Auschowitzenses famo-

famosiora, & tutiora dicit remedia. Clarissimus Helfr. Juncⁿken, in suo Medico præsentis sæculo accommōm. part. 2. sect. 1. cap. 4, pag. 485. acidulas vocat, universale diureticum, imò patet in incolis quotidie acidulas Roitschenses bibentibus, qui nunquam, aut rarissimè his affectibus sunt obnoxij. Et apparet etiam manifestè in omnibus potatoribus, quibus, cùm valdè sint diureticæ, per urinam, & alvum, ut plurimum exeunt, ubi renū calorem contemperant, sordes abstergunt; viscidos, & tartareos humores, ut potè calculi materiam secum arripiunt, ab ejus generatione præservant, & etiam arenulas ipsas, ac calculum comminuunt, & expellunt, prout elapso Majo magnam arenularum faburrham in quodam Officiali nephritico ope acidularum nostrarum excretam ipsem vidi, & postmodum etiam, dum hæc scribo, in quodam Religioso, doloribus nephriticis, colicis, arthriticis, diu vexato expertus sum. Simile etiam observavit Clarissimus D. D. Wagner in duabus magni nominis patientibus, quorum unusquisque ope nostrarum aquarum sat magnum calculum excreverat, & à maximis istis cruciatibus ex integro liberatus fuerat.

Cæ-

Cæterum hic non opus est varia emollientia, uti in alijs fortioribus & Chymicis lithontripticis medicamentis præmittere, siquidem hæ aquæ in magna quantitate sumptæ, suâ aquositate, & humiditate actuali vias, & vasa dilatant, calculosæ materiæ eò feliciùs, & facilius transitum posteà concedentia. Corpus tamen præmissis purgationibus ab excrementorum mole liberandum est, alias facile posset fieri, quod humores excrementitij à partibus principalibus unà cum acidulis ad renes arriperentur, malum augeretur, & tandem abscessus, ac mors ipsa consequeretur, uti *Henricus ab Heer* in suis observationibus pag. 18. & 27. duabus fœminis contigisse commemorat.

Utrum in ulcere renum adhibendæ sint? Rursus controvertitur: *Ramlovius* suas *Wildungenes* in earum descriptione pag. 172. pro abstergendo, & mundando mirè laudat; Cui consentit citatus *Henricus ab Heer* pag. 61. verum magnâ cautelâ hic opus est: Licet quidem subinde, dum ulcera sint adhuc recentia, & non adeò profunda, dum ætas, & temperamentum permittant, cæteraque consentiant;

Sic

Sic Roitschenses has lymphas multùm extollit Magnificus, & Clarissimus D. D. Illmer in epistola ad me datâ, & suprà ante prefationem annexâ, ubi ijs in ulceribus, & gonorrhæis abstergendis, & consolidandis, exceptis pulmonibus actualiter, & jam profundè exulceratis, multùm tribuit. Idem confirmat Clarissimus D. D. Wagner, verba ejus sic sonant: *Prin-
ceps quidam renum ulcere laboravit, Medici
multis tentârunt remedijs, malum hoc superare,
verùm frustrâ: Tandem Roitschenibus acidulis
medicinaliter per 14. dies exhibitis, & interposi-
tis alijs, ex integro convalescit.*

Si verò renes profundè, & valde sunt exulcerati (prout ipse in cadaveribus hydrope extinktorum, cæteris visceribus utcunque adhuc salvis Viennæ aliquoties vidi) si ætas senilis, magna cacochymiæ quantitas, aliaquè contra indicant, tutius est ab ijs abstinere; nam quamvis abstergendo, & mundando aliiquid conferre videantur, cum tamen diureticæ sint, alienas corporis fôrdes ad renes adducent, malum augebunt, & aciditate suâ viscerum exulcerationi inimicâ erunt dolorificæ, uti optimè monet Hildanus centur. 6. observat. 44.

Qua-

Quare pro illis, alia tot sacerdotum experientia approbata medicamenta, quae erodens in ulceribus acidum absorbent, tute possunt substitui.

Quæres, cur acidulæ in ulcere rerum nonnunquam admitantur, & cur non etiam in phthisi, seu ulceri pulmonum, dum utrumquè ab eadem causa, humore scilicet acri oritur? R. Non solum morbus, & ejus causa, sed etiam pars affecta, & ægra examini medico subjicienda est; nam oleum rosatum in vulnere capitis est concoctorium, in vulneribus verò cæterarum partium est percutiens; Item inflammationi aurium idem oleum aceto mixtum prodest, nocet autem inflammationi oculorum: plura vide in *methodo medendi cap. 2.* Magnifici, ac Clarissimi D. D. Illmer, ubi analogismus Empyricorum, de parte affecta in partem affectam argumentativus, fusius reiicitur.

Hinc etiam, quamvis tam ulcus rerum, quam pulmonum ab eadem causa dependeat, ibi tamen subinde, hic verò nunquam Roitschenses nostræ aquæ locum habere possunt. Ratio est, quia in renibus ulceratis nullum vehementem-

motum, & dilacerationem solent inducere, prout contingit in pulmonibus ubi tussis per acidulas, & omne acidum excitata, partes affectas vehementius exagitat, & si aliqualiter jam consolidatae fuerint, deinde eas tam violento motu dilacerat, unde ulcera recrudescunt, & malum augetur. Accedit insuper, quod acidulae magnam virium jacturam patiantur, antequam per tot ambages ad pulmones perveniant; Via enim illis cum chylo communis est: Nam ex ventriculo progredivntur ad intestina, ubi potior quantitas una cum fæcibus, & cacozyticis humoribus per alvum excernitur, subtilior verò earum portio venas lacteas intrat, per quas ad glandulosum mesenterij centrum, vulgo *pancreas Aselij* dictum, & ex hoc ad receptaculum, chyli circa vertebrae lumbales mediâ ferè regione inter musculos psoas, renes, & capsulas atrabilarias situm, advehitur, ex quo mox per ductum thoracicum à Doctissimo *Pecqueto* inventum, & penes arteriam aortam, spinæ dorsi incumbentem, usque ad venam subclaviam sinistram truditur, ubi massæ sanguineæ commixta per venæ cavae ascenden-

dentis truncum ad officinam sanguinis, vitæ basim, cor scilicet ingreditur, tandemquè lege circulationis pulmones, ac universas corporis partes unà cum sanguine visitat, ijsquè vires suas communicat. Unde si acidulæ in pauca quantitate bibantur, parùm de viribus communicabitur plumonibus, quia in tantis viarum ambagibus, ob succi chylosi, biliosi, pancreatici lymphatici, & sanguinei admixtiones, variasquè effervescentias, & mutationes peractas, multùm perijt. Si autem sumantur in magna quantitate, tunc excitabitur tussis, inducetur alvi fluxus ab *Hippocrate* lethalis dictus, &, dum aquæ istæ exsificant, hectica (quæ alioquin individuus comes, & fidus Achates phthiseos dicitur) adhuc magis augebitur, & universum corpus exsiccabitur.

Contrarium autem contingit in ulcere renum, ubi acidulæ etiam in pauca quantitate potæ immediatè ad renes, & viribus nondum destitutæ, veniunt, ac ulcera abstergunt, mundant, & consolidant; Vias autem quod attinet, per quas acidulæ tam citò ad renes, & vesicam tendunt, existimo cum Clarissimo

mo Isbrando à Diemerbroch, & Thoma Bartholino, quod nihil aliud sint, quam ramuli aliquot ex vasis lacteis oriundi, & ad dicta viscera se inferentes; Quamvis autem isti in cadaveribus humanis inventi nondum sint (vacui enim, uti & vasa lactea, & lymphatica, quæ per tot sæcula manserunt incognita, visum nostrum etiam acutissimum effugiunt) nihilominus tamen dicti Authores, eos adesse statuunt, cum in brutis vivis anatomicè apertis nonnulli invenerint. Præterea varia id comprobant; Nam, uti refert citatus à Diemerbroch, fæmina aciculam comedat, alij semen fæniculi, radices, apij, &c. Per urinam excreverunt: Apud *Aquarium* æger post datum medicamentum nigrum, statim urinam nigram reddidit: apparet insuper in diabete, ubi potus, & quidem tam citò & immutatus excernitur: qui rhabarbarum sumunt ejus odor, & color in urinis etiam se insinuat. In his, & plurimis alijs experientijs brevitatis causâ omittendis, impossibile foret, quod assumpta, eundem colorem potuissent illæsum servasse, si unà cum sanguine per cor, cæterasq; partes transeundo, ac varias mutationes susci-

suscipiendo, ordinarium habuissent circulum. Imò consideremus magnos nostrarum acidularum helluones, de quibus postea dicetur, hi subinde uno die, matutino tempore sedecim mensuras, quæ 768. uncias medicas faciunt, cum euphoria epotare solent, & postmodùm rursus multas mensuras per urinam excurrent, quæ acidularum quantitas, si cor debuisset viâ ordinariâ intrare, necessariò per tam subitaneum, & copiosum frigus, caloris fons fuisset extictus, circulus sanguinis impeditus, vitales spiritus suffocati, lipothymia, ac mors ipsa quam citissimè introducta.

CAPUT XXVI.

De ventriculi affectibus.

Oni in hiscè affectibus usum acidularum denegant, potissimum nituntur hoc fundamento, quòd calor nativus, qui unica causa concoctionis passim creditus est, nimium per eas refrigeraretur, ac eo refrigerato postmodùm læderetur prima ciborum digestio, tandemq; tota turbaretur econo-

mia microcosmica. Verum si chylificationis principia paulo accuratius cum recentioribus perscrutamur, inveniemus profecto, solum calorem ad hoc munus peragendum non esse sufficientem, sed requiri insuper fermentum aliquod, quo crudiores ciborum particulæ attenuari, concoqui, & in succum chylosum, lacti quodammodo analogum permutari poterunt. Fermentum autem hoc stomachale plurimum acidi, tam fixi, quam volatilis in se continere, & à cibis, ac medicamentis acidis augeri, per autopsiam, & rationes clarissime demonstrat cum alijs Neotericis *Isbrandus à Diemerbroch in sua anatome lib. 1. cap. 6.* & alibi.

His itaque præmissis ad oculum jam patet, acidulas nostras Roitschenses in similibus affectibus summæ esse efficaciam, siquidem cacochymici, præsertim biliosi humores, fermenti energiam ut plurimum impedientes, non solum evacuantur, sed etiam fermentum ipsum ex defectu salis acidi volatilis aut fixi jam languescens, exaltatur, & confortatur. Accedit insuper, quod interior ventriculi tunica (quæ teste *Thoma Willis pharm. ration. sed. 1. cap. 2.* in superficie interna,

sub-

Substantia villosa, seu filamentis rectis,
tunicæ ipsi instar holoserici perpendicu-
lariter insertis, ubique obducitur) unà
cum suis glandulis, non pridem à Recen-
tioribus inventis, admodum roboretur,
& pro conservandis, ac inhærendis fer-
mentativis succis acidis, magis reddatur
disposita. Quod enim in hisce liquor
fermentativus contineatur, satis clarè de-
monstravit Clarissimus Pejerus in exerceita-
tione anatomico-medica de gland. Intestin. pag.
108. ubi refert, quod pressis glandularum
basibus apices mucum sub viscidum, &
albicantem in ventriculis gallinaceis
effuderint: Idem etiam de glandulis hu-
manis, anseris sylvestris, castoris, alio-
rumquè animalium à Wepfero detectis in-
telligendum est. Hinc evenire solet,
quod nostri hydropotæ, ob fermentum
tali modo exaltatum, & non dilutum,
quod alijs aqueis fieri solet, ingenti fame
ad eò divexentur, ut etiam alimenta, ne
ventriculus nimiùm obruatur, ad satie-
tatem sæpius deneganda sint. Imò ineo-
læ, & vicini rustici, qui pro potu ordi-
nario eas adhibent, edaces ut plurimum
dicuntur, & in annonæ caritate ab hoc
salutifero nectare coguntur abstinere.

In specie autem nostræ aquæ effe-
ctum mirum præstant in cardialgia, si fer-
mentum ab acrimonia biliosa nimis adul-
teratum, mali origo est; uti eas non adeò
pridem in eximio quodam viro cum ma-
gno fructu vidi adhiberi.

Ad vomitus diuturnos, & incurabi-
les etiam valdè recommendantur à Ma-
gnifico, & Clarissimo D. D. Sorbait in ob-
servat. cap. 10. pag. 535. potissimum si ma-
lum est Idiopathicum, nequè ab inflam-
mationibus, & ulceribus, sed solùm à vi-
tiosis humoribus continuò facultatem
expultricem irritantibus trahat originem.
Mihi quidam hic notus est, cuius æcono-
mia stomachica adeò eversa fuerat, ut
omnia alimenta assumpta protinus evo-
meret; varijs tandem frustrà adhibitis
remedijs, confugit ad nostras aquas, qua-
rum ope sanitatem ex integro consecu-
tus est.

Quid acidulæ præstent in cholera,
testatur Sigismundus Grassius observat. 99. mi-
scel. curios. ann. 4. & 5. Qui nobilem quen-
dam per aquas Egranas à molestissimo
hoc symptomate liberavit, & pristinæ sa-
nitati restituit.

Similiter in apepsia, & bradypepsia

adhiberi possunt, si oriatur à fermento
minus acido, præsertim magnâ bilis co-
piâ obruto, quia fermentationem, quâ
genuina alimentorum concoctio peragi-
tur, diminutam promovoent, ac penitus
abolitam restaurant. Ego ut acidularum
fermentandi modum, similitudine quâ-
dam mechanicâ chylificationi tamen ana-
logâ, experirer, feci in una scutella mas-
sam ex farina vulgari, & acidulis: in al-
tera verò miscui farinam in eadem quan-
titate cum aqua fontana, absq; omni alio
fermento addito; positis itaq; istis mo-
re pistorum ad locum tepidum, depre-
hendi in prima scutella massam magis
fermentari, uti & postmodum panem ex
ea igne violentiori pistum, multò poro-
siorem esse, quâm ab acidulis proveni-
re, nemo negare poterit. Confirmatur
idem præparatione famosæ, & saluberri-
mæ cerevisiæ Wildungensis, in quâ, dum
acidulæ locò aquæ fluvialis teste *Ramlo-*
vio in descriptione earum cap. 1. pag. 2. Com-
positionem illius ingrediuntur, non opus
est pro excitanda fermentatione, adde-
re flores cerevisiæ, uti in alijs cerevisijs
recenter excoctis, & ex communi aquâ
præparatis, solet fieri; sed salia & spiritus

in acidulis contenta, tanquam vera principia fermentativa, totam cerevisiæ massam pervadunt, & ad depurationem absq; omni alio additamento excitant.

Si verò fermentum est copiosâ pituitâ obrutum, & ventriculus nimiùm refrigeratus, ab hâc curâ abstinentium est; Clarissimus D. D. Wagner hiscè verbis omnes, ut cautè procedant, fideliiter admonet: *Qui ventriculos, inquit, habent debiles, vel ex voto carnibus non vescuntur, uti sunt Cartusiani, tum etiam corpora, quæ magis pituitosis, quam adustis scatent humoribus, pro acidulis nostris medicinaliter hauriendis, experientia dictante, ut plurimum non quadrant, tales enim plerumq; fiunt cachectici, & in alias precipitantur affectus.*

Dyspepsiam quod attinet, ferunt etiam illi opem acidulæ, præsertim nidorosæ, quæ à bile acriori, & nimis volatili uti loquitur de le Boë Sylvius in *Idea praæeos Medicæ lib. 1. cap. 8* Ad ventriculum a surgente, atq; fermentationem corrum pente trahit originem; In acida tamen dyspepsia, ubi nimia crudorum, & sylvestrium faliūm, plegmaticorumq; humorum copia, ac succus pâcreaticus abundat, aut intemperies frigida ventriculi,

feni-

fenibus s^ep^e familiaris, aliaquē mala ad-
funt, tutius est ab ijsdem abstinere, &
alia stomachica juxta methodum meden-
di substituere, cruditates evacuare, &
ultimō tandem, si nihil contra indicet,
ad acidulas confugere.

CAPUT XXVII.

*Utrūm in colica aquæ nostra con-
ducant?*

Si ullibi profecto in affectu colico
miris extolluntur laudibus aci-
dulæ Roitschenses à Magnifico,
Glarissimo D.D. de Sorbait, qui in prax. Medi-
ca edit. 2. tract. 1. cap. 6. pag. 172. Candidè
fatetur. se inter alias hactenūs, pro ex-
tirpanda hac infirmitate, meliores non.
invenisse, quàm Roitschenses. Imò adeò
liberalis in illis est, ut non solùm æstivo,
sed etiam hyemali tempore, tam pueris
4. & 5. annorum, quàm adultis soleat
porrigere. Qui plura desiderat, vide-
at ejus observationum rariorum cap. 10. pag.
534. & 175. ubi harum encomia fusiūs ex-
plicantur.

Quòd autem in violentissima, præ-
K 5 fertim

fertim biliosa colica, adeò præsentaneum remedium sint acidulæ, ratio videtur esse, quia acerrima bilis à viscidis, & pituitosis humoribus retenta in intestinorum tunicis fixissimè hæret, vel in earum duplicatura stabulatur, unde non potest malum extirpari, nisi acidulis, quæ non tantum temperant humorem biliosum, sed etiam eum diluunt, & abstergent, ac ut verbis commemorati D. D. de Sorbait utar, non secus, ac imber, qui omnes Civitatis cloacas expurgat, totam humorum excrementiorum sa- burram per aluum, & urinam expur- gant, & eliminant.

Hoc etiam videtur confirmare Clari-
fissimus Joannes Daniel Horstius in descriptione
Dönnigsteinensium acidularum pag. 112. ubi re-
fert se ex quodam nobili pituitam visci-
dam, & instar intestini coagulatam ope-
suarum aquarum expulisse, & ægrum à
malis diuturnis liberâsse. Similem ca-
sum, hæc dum scribo, habui in quodam
officiali temperamenti atrabilarij, qui
ob tres pedes vitulinos in cæna come-
stos, altero die atrocissimis intestinorum
doloribus & flatibus corripiebatur: Ego
dum aluum constipatam insuper depre-
henderem,

henderem, suspicabar acrem illam bi-
 lem (quæ à Galenicis intestina instar
 clysteris naturalis ad excernendum irri-
 tare creditur) à pituita viscida ope glut-
 tinosi cibi introducta, in intestinis fuisse
 retentam, & affixam, talemque enor-
 mem dolorem tam fixum, quam hinc,
 & inde vagabundum produxisse. Qua-
 re præmissis incidentibus, abstergenti-
 bus, & evacuantibus pharmacis, aci-
 dulas nostras ultimò adhibui, quibus
 æger ex violentissimo hoc paroxismo ex
 integro liberatus fuit. Unde non im-
 meritò Clarissimus *Willis* cap. de *colica* aci-
 dulas in diurno, & pertinaci affectu
 mirè recommendat, quia stomachum,
 ac intestina æstuantia refrigerant, eaquæ
 à spasmis, & corrugationibus dolorifi-
 cis contracta, aut flatibus convulsivis
 extensa solvunt, & laxant, ac insuper,
 unde potissimum juvant, particulas fa-
 linas alterius indolis, mineræ morbificæ
 insinuantes, alias hujus incolas salinas,
 & irritativas edomant, & subigunt, eaf-
 quæ per catharsim excitatam sape foras
 educunt.

Nihilominus tamen distinctione
 opus est, Medicus enim, qui bene di-
 stinguit,

stinguit, non solum bene docet, sed etiam bene medetur, quia omnes morbi non solum ex diversis oriuntur causis, sed etiam diversimodè modificantur secundum individua, unde si colica est phlegmatica cum intestinorum intemperiè frigida, præstat cum *Sebizio* sect. 2. disserr. 2. § 44. hanc curam vel omittere vel cautè & methodicè adhiberi. Imo observamus quod non semper etiam in colica biliosa serviant. Et vel maximè tunc non dum virtus expultrix ob dolores & dissipatos spiritus debilis evasit. Vel dum ventriculi æconomia nimium destructa, aut aliud adsit contraindicans.

Usum autem acidularum quod attinget, in his affectibus varius est: Nam Primo bibuntur solæ, vel admiscentur aliqua purgantia, uti Clarissimus D. D. Mielbacher Inclytorum statuum Styriæ olim physicus celeberrimus species diaturbith cum Rhabarbaro in ipso colicæ vigore feliciter admiscere solitus est. Secundo bibuntur, & simul in clysteribus applicantur, uti suadet Horstius in Schwalbaceum descriptione pag. 8. Et Joannes Ferdinandus Hertod, de suietlovicensibus Moraviae in sua

sua *Tartaromastige* pag. 104. Tertiò in solis
clysteribus adhibentur, sic fæminæ cui-
dam biliosâ colicâ cum dispositione ad
tympanitidem laboranti à Magnificis, &
Clarissimis D. D. Czashelio, & D. D. Stu-
ber. Archiatris Cæsareis Viennæ suasum,
& practicatum est.

CAPUT XXVIII.

De Diarrhæa dysenteria, & Lumbricis.

DN Diarrhæis, & dysenterijs ut-
rùm locum habeant acidulæ,
variè disputatur à Practicis:
Multi sunt, qui eas ob Martem, alumén,
& plura ingredientia plurimùm com-
mendant, cum croco Martis adstrin-
gente, & aquâ chalybeatâ plures cura-
tos esse, testatur experientia. Sic lau-
dat Clarissimus D. D. Hertod in sua *Tar-*
taromastige, loco citato suas aquas tam
potu, quam clystere adhibitas. Simili-
ter spadanæ in finem istum recommen-
dat Henricus ab Heer in *spadacrene* sua pag. 65.
siquidem purgando, roborando, & ad-
stringendo id præstant, quod Rhabar-
baro,

baro, & myrobalanis, medicamentis, in alvi fluxu, usitatissimis, passim attribuitur ab Authoribus. Econtrà vero sunt plures alij, qui contrarium co-nantur omnimodè defendere, his nitentes rationibus: Aut bibendæ sunt acidulæ in alvi fluxu, dum materia morbi-fica, ut plurimū jam est evacuata, aut adhuc retinetur in corpore? Si primum: non videntur convenire, quia tunc temporis potius est, alijs medicamentis adstringendum, quam his aquis evacuandum; Si alterum: etiam non viden-tur locum habere, quia hi fontes nun-quam dandi sunt, nisi corpus præmissis purgationibus sufficienter fuerit præparatum.

Quæritur nunc, quid de acidulis nostris sentiendum sit? R. Si corpus non adeò est cacochymicum, cæteraquæ ratione ætatis, temperamenti, consue-tudinis, & ventriculi consentiant, cum euphoria subinde primis diebus tantùm, dum purgandum est, admittuntur, quia tunc temporis Rhabarbararū, ac alia pur-gantia locum habere solent, nonnun-quam conceduntur circa finem curæ, si diarrhæa est biliosa, & hepar, utpote pars

pars mandans magno æstu laborat; Sic retulit mihi Clarissimus D. D. Wagner, se diarrhæam biliosam multis septimanis perdurantem, quæ nequè purgantibus cholagogis Rhabarbaratis, iteratis vi- cibus sumptis, nequè interpositis ad- stringentibus fisti poterat, per acidula- rum nostrarum triduanum potum in dua- rum mensurarum quantitate sumptum, penitus sustulisse. Nihilominus quam- vis hæ, & similes experientiæ magnum encomium nostris aquis attribuant, & etiam videantur ratione Martis, alumini- nis, & terræ candidæ, acres humores imbibere, & absorbere, intestina robo- rare, & subadstringere, cautè tamen cum ijs procedendum est, & non rudi Minervâ cujus, sed perpensis bene om- nibus circumstantijs, permittentibus, & prohibentibus, cum grano salis por- rigendæ.

In dysenteria ubi ulcera jam sunt confirmata, & profunda, tutius est ab ijsdem abstinere, & quamvis Magnificus ac Clariss. D. D. de Sorbait *Mis.curios.unni 1672.* observat. 272. referat nobilissimā Deminam dysenteriā laborantem per acidulas illicò pristinæ sanitati restitutam esse, notan- dum

dum tamen est, quod hic morbus, ut
ipse testis est, soveretur à bile flava ar-
dentissima hisce aquis maximè corrigen-
da. Similiter Clarissimus Scharleton,
omnibus tandem irritis, nihilquè profi-
cientibus, vel parùm saltem, ad acidu-
las tanquam ad sacram anchoram con-
fugere præcipit, referente *Helfrico Jüng-
ken in Med. præf. sæc. pag. 673.* Verùm Pra-
ctici nostri in styria hanc methodum ut
plurimùm solent omittere, timent enim,
ne per eas acrimonia humorum in ulce-
ribus adhuc magis irritetur, & affectus
exasperetur, prouti per cætera acida as-
sumpta ordinariò fieri solet, hinc *capi-
vaccius* in alui fluxibus ab aceto abstinet,
& ego ipsem in castris Cæsareis, & ob-
sidiōne Uivarinensi aliquoties observavi,
quod Julapia spiritu vitrioli, & sulphuris
acuata, inepteque per chirurgos cam-
pestres in dysenterijs administrata, in-
gentes dolores, tormina, aliaquæ pes-
simæ excitârunt symptomata. Clarissi-
mus D. D. Wagner saepius jam citatus de
hoc affectu in literis suis ad me ita scri-
bit: *Erant quidem aliqui Medici, qui etiam in
dysenteria ausi sunt easdem acidulas ordinare:
Ait eventu dispari & quandoq[ue] fatali: Ita, ut
illas*

illas in hoc affectu adhibere nunquam præsum-
pserim; Quamvis ratio suadeat in valde biliosis,
abstersionis, contemperationis & evanuationis
gratia, & in pauca quantitate posse concedi.

Ratione lumbriçorum expellendō-
rum videntur acidulæ nostræ maxima-
rum esse virium. *Ramlovius* in descriptione
acidularum *Wildungensium* pag. 172. refert ijs-
dem aquis lumbrieos, ranas, lacertos,
& alia insecta in corpore humano gene-
rata, expulsa fuisse. *Henricus ab Heer* in
Spadacrene cap. 8. pag. 66. mentionem facit
de quodam, qui infinitos vermes per vo-
mitum, alvum, & urinam ejecit, & tan-
dem perfectè ope acidularum Spadana-
rum curatus fuit. Idem confirmant no-
stri incolæ quotidiè has aquas potantes,
qui his molestijs nunquam sunt obnoxij.
Præstant autem hunc effectum ratione
salis acidi, nam acetum, spiritum vitrio-
li, tincturam violarum vitriolatam, &
nitrum lumbricis valdè adversari testis est
Clarissimus Wedelius de S. M. facult. pag. 178.
Prætereà acidulæ sunt anthelminthicæ ra-
tione Sulphuris, quod, putredini, & o-
mnibus ex ea ortis maximè resistit, sic
fumo Sulphuris imbuta dolia, vinum à
corruptione diù præservant, ne in vap-

pam degeneret Claris. Etmüllerus etiam in sua chymia rationali lib. 1. sect. 3. cap. 1. pag. 63. Potus sulphuratos in peste cum Helmontio mirè laudat, & per Experientiam probat in proxima contagione Londinensi magnæ fuisse efficaciæ.

CAPUT XXIX.

De uteri affectibus.

NHIS affectibus non infimum locum habent acidulæ, eò quod valeant menstrua diu retenta provocare, & enormiter fluentia sistere; nequè hoc alicui mirum videri debet, si quidem unam, eandemquè causam, diversimodè tamen agentem duos sibi contrarios effectus, unum per se, alterum per accidens producere posse, apud physicos nihil novi est. Sic quoq; diversimodè, pro materiæ morbificæ varietate operantur acidulæ, menstrua enim provocant suis insignibus, quibus pollent facultatibus, massam videlicet sanguineam à viscidis humoribus obrutam, attenuando, & uteri obstructions referando, quo facto viæ dilatantur, sanguiniq; attenua-

to

to exitus conceditur, suum lunare tributum menstruatim postmodum soluturo. Econtrâ Immodicum eorum fluxum compescere possunt acidulæ, si causæ morbi fieæ ritè subjiciantur examini Medico; hæ autem ut plurimum sunt, nimiùs humorum præsertim bile acri scatentium fervor, vasa uteri ad continuam excretiōnem irritans, & serosi sanguinis copia, quæ in suis receptaculis dum retinerinequit, semper quærit exitum, maximè si vasorum uteri accedat imbecillitas. In omnibus itaq; hincasibus optimè profūnt nostræ aquæ, dummodo extra menstrui, tempus bibantur, nequè aliud adest contraindicans, fervorem enim humorum ab hepate calido potissimum ortum mirè contemperant, eorum acrimoniam infringunt, sanguinem à serosorum humorum colluvie liberant, eamq; tam per alvum, quām urinam evacuant, tandem què vasa uteri eò disponunt, ut exoptatus, & secundūm naturæ leges præscriptus effectus eveniat.

Porro sterilitati, quamvis non semper aliquando tamen medentur acidulæ, maximè si proveniat à matricis intēnperie calida sēmen virile dissipante, & exu-

renter, quæ his aquis congruè refrigeratur,
 atquè ad statum naturalem reducitur:
 vel si mali causa est nimia humiditas, &
 lubricitas, ob quam genitura retineri ne-
 quit, hoc remedio etiam ea expellitur,
 uterus exsiccatur, & in retinendo ro-
 boratur: Vel si fæminarum ovaria, non
 adeò pridem à Recentioribus detecta,
 unà cum suis tubis (in quibus variorum
 morborum muliebrium causæ latere pos-
 sunt teste Joanne Sigismundo Elsholstio in misc.
 curios. ann. 4. & 5. pag. 77.) corripiantur
 obstructionibus, vel, ut suprà dictum in-
 temperiè humida, aut calida, tum etiam
 possunt locum habere acidulæ, quæ ob-
 structas vias adeò reserant, & intempe-
 riem corrigunt, ut postmodum prolifica
 ova (prouti volunt Regnerus de Gräff. Jo-
 annes Swammerdam, Theodorus Kerkringius, &
 aliij Neoterici) ad cavitatem uteri ritè pos-
 sint deferri, & ibidem sua excrementsa
 capere. Hinc non admirandus est Henr-
 cus ab Heer, qui in sua Spadacrene pag. 68. Re-
 fert, quòd multæ, quæ æternâ sterilita-
 te post duodecim, & quatuordecim an-
 norum matrimonium infrugiferum dam-
 natas se putabant, ope Spadanarum aci-
 dula-

dularum postea conceperint, & proles
feliciter ex hixæ fuerint.

Cæterum cum uterus inter intesti-
num rectum, & vesicam urinariam (no-
bili profecto gaudens vicina) sit collo-
catus, ac vitiosos humores ex omnibus
partibus tanquam corporis sentina (prout
eum appellat Magnificus & Clarissimus
D. D. de Sorbait prax. med. cap. 76. de fluore
mulierum pag. 227.) facilè recipiat, necessa-
riò sequitur miserum fæmineum sexum
pluribus adhuc morborum insultibus esse
obnoxium, & verificari illud, quod jam
olim Democritus non sine ratioe scripsit ad
Hippocratem: Matricem scilicet sexcentarum
ærumnarum, & innumerabilium calamitatium au-
thorem esse: Quare pro excrementitijs istis,
ac corruptis in viva hâc corporis sentina
stagnantibus humoribus evacuandis, &
partibus genitalibus roborandis Clarissimi
nonnulli Medici adhibere solent optimo
cum effectu acidulas, præsertim in fluore
albo, passione hysterica, intemperie humi-
da, scirrho, & prolapsu uteri, alijsquè affe-
ctibus, de quibus vide hydrographos.
Administrantur autem vario modo: vel
bibuntur juxta ordinariam normam po-
stea describendam: vel adhibentur in bal-

neis, ut Clarissimus Hertod. in *Tartoromastigie Moraviae* pag. 105. Suadet: vel injiciuntur per mettrenchitam in cavitatem uteri, uti vult *Henricus ab Heer* in sua *Spadacrene* pag. 64. quod tamen commodius sine ulla verecundiæ jactura fieri posset, si matronæ sibi ipsiæmet tales uterinos ex acidulis factos clysteres injiciant siphone cum longo tubulo ad istam operacionem juxta exemplar tubuli *Regneri de Gräff* adoptato, quo unusquisque sibi clysteres intestinales absq; alterius ope applicare potest. Vel demum administrantur solo fotu, vel per vaporarium excipiuntur, ut idem citatus ab *Heer* refert pag. 64. & 68. Nihilominus tamen, utrum quid simile per nostras aquas practicatum fuerit, nihil experiri potui, quamvis sedulò inquirerem, interim tamen, nullam, si circumstantiæ benè examinantur, video repugnantiam.

Dixi superius ex Clarissimo *Elsholtio*: in ovarij, & tubis uteri variorum morborum causas latere, quod ipsemet aliquoties in cadaveribus anatomice dissectis expensus sum; è quibus unicum observationem addo. Virgo quædam 22. annorum temperamenti calidi, & humidi, bonis

nis tam animi, quam corporis dotibus,
 & valetudine à cunis optima prædita,
 Anno 1681, circa finem Septembris ni-
 mio saltu Viennæ calefacta, & haustu
 astu frigido subitò refocillata conqueri-
 tur de anxietatibus, vertigine & virium
 debilitate, domum demùm reducta sen-
 tit malum augeri, & supervenientibus
 tandem motibus convulsivis Epilepticis,
 & hysterics, quamvis varia juxta artem
 adhiberentur, omnibus tamen in cassum
 tentatis, lectum cum letho permutans
 fatis cessit. Ego à domesticis tam subi-
 taneam vitæ metamorphosim obstupe-
 scens, & apostema cerebri infallibili-
 liter sibi imaginantibus rogatus, cadaver
 anatomicè aperui, ubi dissecta calvaria
 nihil notatu dignum reperi, nisi quod
 cerebrum paulò esset humidius; partes
 vitales, & naturales vulgò dictæ, erant
 laudabiles: tandem cum genitalia paulò
 accuratiū perlustrarem; inveni ovariuū si-
 nistri lateris, unā cum contentis ovis cor-
 ruptum, & humoribus fætentibus, acri-
 busq; infartum, cæteris uteri partibus
 tan internis, quam externis quo ad o-
 mnia se bene habentibus. Unde Magni-
 ficus D. D. Illmer, & Clarissimus D. D.

Stockhamer Institutionum Medicarum.
 Professor primarius, quibus casum præsentem retuli, meam opinionem confirmantes statuerunt, unicam morbi, & mortis tam subitanæ causam non fuisse aliam, quam humorem in ovario corrum, qui diù quidem latuit, postea vero saltu nimio agitatus, & rarefactus, Palladis arcem petijt, ac per consensum pessima hæc, & lethalia produxit symptomata.

CAPUT XXX.

De Arthritide, & ceteris partium externarum affectibus.

Morborum bene cognitum, jam quasi esse curatum, commune est adagium ; Hinc non mirum, cur de acidularum adhibitione in Podagra alijsquè arthritidis speciebus adeò ligatur inter Medicos, dum de causa morbifica tam variè à varijs controvenerit.

Clarissimus Guntherus in quodam Consilio de podagra, Helmontium imitaturus, solum acidum pro arthritidis causa statuit, & refert de se ipso, quod ob copiū suc-

succum limoniorum, & Julapia spiritu b
sulphuris acidulata, quæ Romæ anno p
1656. tempore pestis, præservationis
gratiâ sumpserat, in universalem arthri-
tidem, nunquam antea habitam inci-
derit, & se iterum usu salis volatilis
cornu cervi, quod potentissimum acidi
destructivum est, perfectè curaverit,
ac postmodum liber ab hoc malo per
integrum triennium vixerit. Cùm verò
rursus tempore æstivo pro siti extin-
gvenda, aquam limoniatam, ac alia aci-
da bibere inciperet, arthritis sinistram
manūs, & pedis denuò se insinuavit, à
quà tamen rursus ope volatilium alka-
licorum, ut prius, liberatus est, & po-
stea exclusis omnibus acidis, quinde-
cim annos immunis mansit. Quare hoc
supposito suadet, omne acidum, sub
quo acidulis nostris etiam locus est, in
cura podagræ esse fugiendum, & adhi-
benda ea, quæ id infringunt, & destru-
unt.

Verùm à particulari ad universale
non valet argumentatio casus enim iste
non probat, acidum in omnibus poda-
gricis inculpandum esse, siquidem plus
rimi temperamento summè bilioso præ-

diti hoc malo enormiter cruciantur, in quibus tamen dominum potius sali alkalis bilis, quam acido adscribendum est. Existimo itaque salvo aliorum iudicio, si morbus nondum sit inveteratus, & oriatur a biliosis, acribusque humoribus articulos infestantibus, acidulas nostras subinde optimo cum effectu posse administrari. Sic Pruvinaeas arthritidi ex vitio viscerum inventre inferiori contentorum ortum habenti profuisse, testatur Giurius in suo arcano acidularum cap. 1a pag. 90. Idem confirmat Theophilus Bonetus in suo Mercurio compilatio pag. 33. ubi refert plures per acidulas vitriolatas, & refrigerantes ab arthritide biliosa immunes per longum tempus mansisse; Quod de præservatione audiendum, & ijs, qui soluto paroxismo pedibus uti possunt. Similiter vidi etiam Roitschenses nostras acidulas in incipiente podagra cum intemperie calida hepatis a practicis Viennensibus extra paroxismum fructuose præscribi: Juvant enim per accidens, roborando scilicet viscerabo, & impediendo generationem humorum in articulos decumbentium, & ergo olio lidatum.

postea enormem hanc carnificinam excitantium. Dandæ tamen non sunt, nisi corpore satis per purgationes evacuato, alias humores cacochymicè per acidulas irritati influent ad artus pro recipiendo affluxu, ob suam debilitatem jam ante valde dispositos, & malum exasperabunt, quemadmodum hic elapso anno in Venerabili quodam sexagenario acidulas vino mixtas indispositè quotidie bibente, & postea intensissimis pedis doloribus cruciato ipsem vidi, & in spadacrene Henrici ab Heer pag. 69. simile observatum legi.

Modum adhibendi quod attinet, duplex est, in potando videlicet, & balneando: Sic Pyrmontanas pro doloribus, & tophis mitigandis, & discutendis suadet in balneo Bolmannus in eorum descriptione cap. 6. pag. 65. & Clarissimus Hertod suchalozianas tartaromastige pag. 107. alijquè hydrographi alias mirè recom mendant. Utrum verò nostræ Roitschenses etiam in balneo hunc effectum præstent, propriam nondum habeo experientiam, de ijs tamen quin efficere possint, haud dubitans,

Ad

Ad corporis vitia externa, videlicet impetigines, lichenes, scabies, & plura alia à nonnullis laudantur acidulæ spadanae, & Egranæ, tam potu, quam balneo adhibitæ; Magnificus, & Clarissimus D. D. de Sorbait ad eosdem effectus etiam nostras recommendat, in observationibus suis rarioribus cap. 10. pag. 5346 & compertum habeo à nostratis, fædripius felices effectus præstitos esse. Theophilus Bonetus in suo Mercurio pag. 428. ait per acidulas ferratas aliquoties se cùd râsse impetiginem gravem, & ferè leprosam, cùm cætera quævis medicamenta incassum fuissent adhibita. Henricus ab Heer pag. ps8. ad nimios faciei tuberosæ rubores, seu guttam rosaceam, vultuosis helluonibus magnopere suadet, eò quod talibus tuberonibus bibernis hepar refrigeretur, à quo malum sæpiissimè trahat originem.

Et hæc de morbis in specie per acidulas Roitschenes curabilibus tam ratione, quam experientiâ comprobatis, breviter, & currenti calamo insinuata sufficiant: Nec diffitator, pluribus adhuc alijs mederi posse, quos tamen nunc brevitatis gratiâ omitto, ulterius

perscrutaturus , quali ætati , temperamento , & sexui convenienter saluberrimæ istæ aquæ ? De quo sit .

CAPUT XXXI.

Qualis ætas , temperamentum , & sexus admittat usum Acidularum Roitschensium .

Si permittentia ab ætate defumere velis , maximè huic curæ idonea est ætas media , Juvenilis scilicet , & virilis , de puerili enim , & senili multa sunt adhuc obstacula : de illa : quia eorum tenera rara delicata , & mollia corpora , istâ vehementi exsiccatione , & sensibili , insensibiliq[ue] evacuatione faciliè possunt lœdi ; De hac verò , quia senes viribus ad subigendas acidulas carent , exquè magnâ quantitate assumptæ calorem jam ætate debilem suffocant , pauca verò quantitas effectum non assequitur .

Verum cùm ætas non annorum numero , sed viribus , ut vult Celsus lib . 2 . cap . 10 . metienda sit , possunt subinde , necessitate urgente , absentibus nimis repu-

repugnantibus, & ipsa acidularum consentiente conditione, convenienti tamen quantitate, concedi: Sic Magnificus, ac Clarissimus D. D. de Sorbait in prax. Medic. pag. 534. refert, se nostras Roitschenses aquas Illustrissimo cuidam puerο, annorum quatuor & medium vehementissimā colicā laboranti, dum omnia incassum jam fuissent adhibita, ad octodecim uncias primā vice, & postea ad triginta tres feliciter administrasse, quibus porracea bilis aliquot sedibus rejecta, & æger ex integro ex hoc malo liberatus est. Similiter etiam duorum, & trium annorum pueros, & puellas, Imò propriam filiolam sesquitertium annum agentem, & arenulis laborantem, feliciter bibisse aquas spadanas, testatur Henricus ab Heer pag. 127. in Spadacrene.

Idem de senibus statuendum est, qui urgente malo subinde admittuntur, dummodo vires constant, & ægris levamen per istarum potum in ætate virili antea secutum est, non tamen volo decrepitos, & in summo senio constitutos hinc intelligi, ne contingat, quod contigisse refert Joan. Baptista de Lamzwerd in suis motis salutaribus, de magno thermarum, & acidularum

dularum ab usu pag. 198. cuidam Praefuli de-
crescentis ætatis, in quo tam subitaneæ
mortis causa fuit frigidæ aquæ putealis
cum syrupo refrigerante assumptio, quâ
quidem levavit sitim, sed debilem vitæ
calorem simul sufflaminavit. Similiter
factum est cuidam decrepito in ipsâ aci-
dularum curâ, apoplexiâ tacto, prout
suprà cap. 21. facta est mentio.

Ratione complexionis non nulli so-
lùm sanguineas, & cholericas ad hunc
usum volunt admittere, excludentes
reliquas, ego tamen salvo aliorum ju-
dicio existimo omnes urgente necessita-
te, dummodo servanda serventur, ad-
mittendas esse, in melancholica tamen
ob siccitatem, & in phlegmatica ob fri-
gus, vel ob nimiam humiditatem.
cum cautela oportet procedere; Notus
enim mihi est magnus quidam vir, na-
turæ humidissimæ, qui propter aquarum
nostrarum potum ingenti erysipelate
& edematoso capitis correptus fuit,
quamvis præmissis purgationibus, &
Omnibus juxta artem adhibitis curam in-
ceperit.

Ratione sexus tam fæminis, quam
viris conveniunt. De gravidis tamen
ambiguum,

ambiguum, & controversum est; Aliqui
 ijs præsertim quarto, quinto, & sexto
 graviditatis mense, absquè periculo ab-
 ortus audent adhibere, desumentes pa-
 ritatem à fructibus arboreis, qui medio
 suæ maturitatis tempore fixè frondibus
 adhærent, & solummodo dum florent,
 aut jam maturescunt, à levi ventorum
 flamine possunt decidere; Vidi quidem
 ipsem etiam elapso anno matronam
 quandam secundi mensis gravidam, at-
 tamen inficiam, quotidie aliquot men-
 suras nostrarum aquarum ebibere, abs-
 què ullo abortu; Verùm cùm à particu-
 lari ad universale non valeat argumen-
 tatio, tutius est ab hac cura abstinere:
 Aquæ enim nostræ, ut plurimum per
 alvum, & urinam operantur, unde pos-
 set fieri, quod uterus inter vesicam, &
 intestinum rectum locatus facile ad ex-
 cretionem irritaretur per consensum,
 quod Hippocrates jam dudum animadver-
 tere visus est, qui 5. Aphor. 34. ait Mu-
 lieri uterum gerenti, si alvus multum fluat, pe-
 riculum est, ne abortiat; præterea aquæ no-
 stræ menses provocant, quin nunquam
 graviditatis tempore movendi sunt, ni-
 si abortum procurare, & characterem
 homicidij

homicidij ex professo velles assumere. Et hoc de acidularum potu medicinali, & in magnâ quantitate intelligendum est; si enim unus, vel alter haustus voluptatis, aut sitis extinguendæ gratiâ instituitur, non adeò nocere videtur, uti testatur *Theophilus Bonetus in suo Mercurio pag. 580.*

De lactantibus rursus alia exsurgit quæstio. *Ludovicus Combachius in suâ epistolâ ad Ramlovium,* adeò liberalis in acidulis Wildungensibus fuit, ut etiam fœminæ cuidam infantem septendecim septimanarum, & scabie correptum lactanti porrexerit. Apud nostrates tamen hic modus exulat, & timendum est, ne tenera infantium constitutio, quæ præter maternum nectar nihil assumere, & concoquere potest, per has aquas laeti in mammis immediate communicatas magis laderetur, & in lethalia rueret symptoma. Quod enim assumpta alimenta, & medicamenta viribus nondum in lacte destituta sint, & purgando, ac alterando immediate operentur mirum non est, & videtur ratio esse, quod lac non ex solo sanguine, uti voluit *Aristoteles*, sed etiam ex chylo per speciales vias ex ductu thoracico ad mammae adducto, uti

Isbrandus à Diemerbroch, & alij multi testantur, Neoterici, suam sumat originem, quod insuper lactis, & chyli in sapore, odore, & calore affinitas summè confirmat: Imò si hypothesis Aristotelica vera esset, impossibile foret, quòd fæminæ lactantes, in quibus (præsertim mammosis) libra una, & plus lactis quotidiè per integrum annum generatur, & exsugitur, possent bonâ valetudine frui, cùm una libra sanguinis, quotidiè per venæ sectionem extracta, intra aliquot septimanas infallibiliter illas ad hydropem, & mortem præcipitaret: Idem de vaccis Helvetiæ lactiferis, maxima vasa quotidie implentibus sentiendum est.

Quæritur utrùm etiam homines bonâ sanitate fruentes acidulas nostras bibere valeant? multi enim negativam amplectuntur, & ex sacris paginis defument: sanos non indigere medico, & per consequens medicamentis solet etiam subindè fieri, quòd assumpta pharmaca sañissimos, & robustissimos in varia morborum genera præcipitent, quemadmodum illi contigit, qui bonâ fruebatur valetudine, varia tamen medicinæ adhibere incæpit remedia, ut diutiùs, meliusq; eâ

ea frui posset, ast infelici eventū, à medicamentis enim excitatus morbus, & mors curiosæ huic sollicitudini imposuit epi-
logum; Unde ille sequens additum fuit
epitaphium Bononiæ.

Per star meglio, sto qui.

Verūm distinctione opus est, qui enim perfectissima valetudine gaudent, his ab acidulis abstinentia est; interim dantur plurimi alij, qui sani quidem degunt, & in omnibus corporis actionibus peragendis nullum vitium animadver-tunt, nihilominus tamen paulatim humores vitiosos per diætæ errorem accumulant, qui humores diù subinde in corpore absquè ullo sanitatis dispendio quietè delitescunt, & superveniente novo aliquo, etiam levissimo, excessu protinus prorumpunt & sanitatem lœdunt. Hinc talibus tempore bonæ valetudinis optimo cum emolumento porriguntur acidulæ, quibus peregrini isti hospites, rebellionem jam machinantes suo tempore in actum reducendam, per alvum, & urinam educuntur, & morborum plurimorum impeditur generatio.

CAPUT XXXII.

*Quo anni tempore bibendæ sint
nostræ, acidulæ, & cur subinde in vi-
ribus suis varient?*

Tempus bibendi acidulas, vel *uni-
versale* est, vel *particulare*. *Uni-
versale*, certum scilicet anni tem-
pus, de quo nunc agendum, optimum
censetur, ex salubritate efficacia, & syn-
ceritate acidularum, ac bibentis dispo-
sitione secundum anni vicissitudines e-
tiam variabili: illæ intenduntur æstate,
quia vivificâ solis luce perfunduntur, e-
iusdem calore attenuantur, clariores,
limpidioresque redduntur; remittunt ali-
quantum in autumno, præsertim eò ma-
gis, quo vicinior est hyemi, & in verè
tumquè eò minus, quo longinquius ab
hyeme recessit; maximè remissæ sunt in
hyeme non quidem in se, sed ratione
impuritatis à nivibus, & pluvijs intro-
ductæ. Quò ad subiectum bibentis, ver
ob aëris temperiem, corpus humidum,
& ad vitiosorum humorum evacuatio-
nem dispositum, meatusq; in eo mode-
rate apertos commodissimum est, cui
parùm

parùm cedit principium æstatis & autumni. Hisce itaque bilance medica bene perpensis, judico, si ordinarium, & liberum tempus desideretur, eas potandas esse à Majo usq; ad Septembrem, præcipue in nostris locis, non autem inteligo anni tempora, & menses, quocunque modo affectos, sed ipsam temperiem, correspondentem istorum mensium proprietatibus, quæ vigeret, si omnia secundum ordinarium anni cursum deberent fieri.

Apud nos frequentissimus usus est harum aquarum in ipsis canicularibus, ubi suo acore æstum intolerabilem moderant, sitim extingunt, appetitum ordinariò tunc languentem restaurant, billem infringunt, & robustos faciunt, dum cæteri calore nimio, spiritus vitales dissipante, magnoperè debilitantur. Neque obstat, quod Proto-Medicus noster *Hippocrates* 4. aphoris: 5. & cum eo tota Medica prosapia, sub cane, & ante canem purgationes dissuadeat, intelligendus enim est de purgationibus fortioribus, quæ totam naturam pervertunt, & viscera inflammant, non vero de blandioribus, ut potè acidulis, quæ præter lenes purgatio-

gationes humores adhuc corrigunt, & naturam roborant, accedit insuper, quod in nostro horyzonte tunc temporis aër sit multò temperatior, & ethesijs magis e-ventilatus, quàm in Græcia, de qua di-vus Senex locutus est.

In hyeme ut suprà dictū est multi hanc curam dissuadent, solummodò ideo, quod acidulæ tunc temporis, nivibus, nebulisq; adulteratæ, suis viribus plurimùm priven-tur: ast ego elapsà hyeme, potissimū dum Boreas multùm flaret, in sapore, adeò vegetas, & excellentes, uti fontes reliquos per antiperistasin roboratas de-prehendi, ut parùm, aut nihil different ab illis, quas in canicularibus gustavi. Judico itaque hanc curam hyemali tem-pore magis dissuaderi à practicis, ob bi-bentis naturam à nimio frigore indispo-sitam, quàm ob aquarum inefficaciam, hinc si urgeat necessitas, moraq; mine-tur periculum, etiam in ipsâ hyeme bi-bendæ sunt, attamen cum hâc conditio-ne, ut fiat in calefacto cubiculo, & fri-gus evitetur, ne sudor, qui subindè in-hiscè potationibus evenire solet, per pororum occlusionem impediatur, alia-quæ eveniant symptomata; sic feliciter

nostras aquas adhibitas esse testatur experientia, & suadet Magnificus, ac Clarissimus D. Sorbait Med. Pract. pag. 172. uti & Henricus ab Heer Spadacr. pag. 94. & alij.

Clarissimus Pileot practicus olim Vienæ celeberrimus suasit, ut acidulæ ex scaturagine hauriantur tempore hyemali, & in vitris reservatæ bibantur vernali; verum tanto viro lubens admitto, aquas nostras in hyeme siccâ valdè esse validas, & corpora nostra in vere maximè disposita, nihilominus tamen timendum est, ne acidulæ tam diù reservatæ spirituum, & virium jacturam subeant, si verò hoc per accuratam clausuram impedi re volumus, sæpè vasa franguntur, uti suprà mentionem feci.

Quæritur secundò unde veniat, quod acidulæ subinde in viribus suis mutentur. & varias de hâc re exoriri opiniones: Nonnulli cum Astrologis omnem mutationem aquarum ferratarum Marti planetæ volunt adscribere, eò quod elapso anno 1685. maligni aliquot ejus aspectus contigerint, à quibus non solum in acidulis virium diminutio, sed etiam in multis Regionib

bus maxima bellorum ferocia (cujus
 causa etiam dicitur) excitata fuit: Ve-
 rūm libenter admitto, aliquot Martis
 cum saturno, & sole quadratos aspec-
 tus, & oppositiones aliasquè malignas,
 uti vocant Astronomi, constellationes
 elapso anno in Aprili, Majo, & Sep-
 tembri apparuisse, nihil ominis tamen
 præfatos effectus ijs immediatè non
 possum adscribere; Bellum enim magis
 videtur provenire ex arbitrio libero
 principum, quām ex astris, quæ solum-
 modo inclinant, non autem necessitant;
 Nostras verò acidulas quod attinet, eæ
 quidem præfato tempore virium suarum
 jacturam subinde passæ sunt, saepius ta-
 men laudabiles præstiterunt effectus,
 causa tamen nulla alia fuit hujus mu-
 tationis, quām æstas pluviosa, & fri-
 gida, unde non solum ob defectum ca-
 loris solaris hos acidos latices vivifi-
 cantis, sed etiam ob affluxum aliarum
 aquarum eos dilventium, & destruenti-
 um, diminutio ista consecuta est. Imò
 si Mars unica, & proxima hujus esset
 causa, sequeretur, quòd talis variatio
 alternis annis deberet fieri, siquidem
 ille intra unum annum, & dies 321. to-

tum Zodiacum motu proprio solet percurrere: Distinctione itaque opus est, & causarum serie, quæ sic se habet: In primis causa proxima variationis in acidulis est, earum minera per causas remotas etiam variabilis, Item major, vel minor aquæ affluxus, ingens æstus, siccitas terræ, aquæ copiam absorbens; aër noxia miasmata, quibus infectus est, acidulis communicans, nebulæ, pluviæ, ac plura alia: Causæ demum remotæ sunt astra tam fixa, quam erraticæ, in aëre, & terra prædictos effectus excitantia, hæc enim non solum in regione vegetabili, & animali, sed etiam in minerali per influxus suos operantur, quod probatur ex sequentibus: Nam inter vegetabilia constat, quod nonnullæ herbæ certis lunæ mutationibus transplantatae, vel collectæ multùm in floribus, & viribus varient, arbores verò in pleni- & novi lunijs decisæ, corruptioni, & teredinibus, magis vel minus sint obnoxiae: Inter animalia pro exemplo sit homo in æquinoctijs, & solsticijs magis suis paroxysmis morbificis, epilepticis, hystericis, podagricis, hypochondriacis, alijsquæ agi-

agitabilis; Imò qui olim in artibus cæsim, punctimquè læsi fuerunt, eclipses solares, & lunares, futuras pluvias, aliasquè lunæ mutationes absquè ullo calendario infallibiliter prognosticant. Similiter refert Claris: Dobrozenski Medicus Pragensis: Ephemerid: Nat: curios: ann: 2. observat: 66. quod illo tempore, quo motus terræ in Tyroli fuerunt, mirabiles flatuum commotiones in patientibus suis hypochondriacis animadverterit; Ecce analogismum majoris, & minoris mundi: Inter mineralia patent in argento, quod semper in fodinis Schnebergensibus sub Saturni in signum cancri ingressum, accedente Lunâ copiosius repertum est, uti testatur Albinus in chronicō suo metallico pag. 29. Idem etiam de cæteris metallis, & mineralibus in certis syderum aspectibus aliquomodo variantibus dicendum est.

Dixi superiùs nostras acidulas elapsa æstate subinde tantùm virium suarum jacturam passas fuisse, ordinariò tamen fuerunt validissimæ, quemadmodum alijs annis reperi, nam dum Sol circa tropicum cancri existit, propriusquè in meridiano ad Zenit, seu punctum ver-

ticale accedit, & radij solares in prima aëris regione reflexi, magis acutos angulos, quam in cæteris anni partibus constituunt, calor etiam per eos ordinariò intenditur, & acidulæ exaltantur, nisi per accidens ob aquarum copiosam mixturam impedimentum eveniat.

CAPUT XXXIII.

Quomodo corpus ante acidularum curam præparandum sit?

Quanquam acidularum nostrorum fama non solum in Styria, sed in diversis Provincijs, & Regionibus longè, latequè divulgata, ac earum vires mille experimentis in vario morborum genere comprobatae sunt, nihilominus tamen aliquando evenire solet, quod ægri in harum potu, non solum non liberentur, sed etiam de die, in diem in pejora ruant symptomata: Hinc blasphematur in aspectus, inculpantur astra, malædicuntur acidulæ, & earum vires, quæ tot fuerunt saluti, pessimè diffamantur, & ad ultimam Thulen dimandantur. Ve-

rum

rūm si rem paulò accuratiū examine-
mus, experimur s̄epissimē, tam acidu-
las, quām sydera ab his injurijs esse im-
mūnia, sed solummodo malum à cor-
poris indispositione trahere originem.
Constat enim omnem morborum cu-
ram se habere instar boni : Bonum autem
juxta Peripateticos *ex integra causa*, ma-
lum verò *ex quovis defectu*; Hinc non mi-
rum, quòd exoptata sanitate, quā in
haç vita nihil datur gratius, toties de-
fraudentur, dum ante, & in cura, id,
quod fieri deberet, omittitur, & econ-
trà practicatur, quod esset omittendum.

Hanc ob causam, ut omnia cum
emolumento eveniant, præsteturque
à nobis desideratus effectus, ante omnia
corpus, si est cacochymicum, per di-
gestiones, & purgationes, si verò ple-
thoricum, per venæ sectiones priùs
præparandum est. Huic præcepto non-
nulli volunt resistere, qui, ut Medicorū
tot sæculis jam probatam doctri-
nam evertant, rudi plebi firmiter per-
suadere satagunt, has digestiones, pur-
gationes, venæ sectiones, aliaq; ante
potum assignata requisita, esse mera
Medicorum, & pharmacopolarum fig-

menta, nequè ad hanc curam necessaria: Imò hæc omnia ab acidulis, quæ instar panaceæ omnibus affectibus mendentur, præstari posse. Porro, quod hæc præparatoria non sint fictitia, sed vera ex tripode Delphico prolata oracula, attestantur tot funesti casus, de quibus postea dicetur.

Quare in hunc finem humores in corpore existentes, per sua signa benè examinentur, & si sint viscosi, & tenaces, medicamentis incidentibus, & attenuantibus per aliquot dies adhibitis, præparentur, ac postmodùm unâ vice, vel per epicrasin, convenientibus catharticis, saltem aliqualiter, si non totaliter expurgentur, nequè hic medicatrices vetulæ, & empirici imitandi sunt, qui unico purgante pulvere, cuiusvis naturæ, instar Protei se se accommodante, omnes humores volunt evacuare, & tanquam unâ fideliâ omnes parietes dealbare; Sed temperamenta, sexus, ætas, humores peccantes, morbi, corporis habitus, anni tempus, & plura alia considerentur, quæ si diversa sunt, purgantia etiam varientur, & cholagogæ si billis, melanagogæ, si melan-

Iancholia, & phlegmagoga, si pitutia abundat, juxta Medici intentionem porrigitur; Similiter si obstructio viscerum, & sanguinis copia adest, etiam ijs succurratur, secus fiet, quod acidulae cum humorum præsertim biliosorum copia in intestinis impetuose effervescent, unde postmodum flatus, ardores, distensiones, vertigines, cephalalgiæ, epilepsiarum, febres, & alia orientur incommoda. Sic teste *Ramlovio* quidam calculosus in ipsa cura ob suppressam urinam obiit, in cuius cadavere, vesicæ orificium arenulis, & viscosis humoribus per acidulas huc ex toto corpore adductis, exitumquæ urinæ prohibentibus undique obstructum fuerat; Similiter Matrona aliqua apostema in uretere eodem modo contraxit apud *Henricum ab Heer* observat. pag. 18. Præterea possunt acidulae, si nimiâ phlegmatis copiâ involuantur, ab ea intercipi, & in corporis venis, & meatibus, ita coerceri, ut retentæ & stagnantes nimium viscera refrigerent, à quo hydrops, & alia mala facile possunt provenire.

CAPUT XXXIV.

Qua hora acidula nostra bibendæ sunt?

DE modo præparandi corpus, uti etiam de tempore universali jam satis dictum est, restat nunc diei pars, seu tempus particulare examinandum, quod huic curæ foret aptissimum, non datur autem melius, quam tempus matutinum, quia tunc assumpta totaliter jam concocta (quod ex absentia ructuum, & gravitatis circa præcordia cognoscitur) & etiam ut plurimum è ventriculo evacuata sunt; Qui itaque hanc curam fructuose perficere cupit, priùs sordes capitis pernares, os, & aures; Abdominis per urinam, & alvum deponat, & postea incipiat unâ vel alterâ post solem ortum horâ, cum aër temperatior ambulationem permittat pro hac curâ necessariam. Bibuntur ut plurimum hæ aquæ in poculis vitreis, non adeò magnis, ne unâ vice nimis multum, & præcipitanter ingurgitetur, & ventriculus per actuale frigus destruatur. Quare

ut

ut hoc evitetur, multi morsulos Imperatoris, tragæam grossam, confectanisi, cinamoni, aliaquæ stomachica assumunt, Imò solùm semen anisi manus, & exore rejectum, non solùm pro confortando stomacho, sed etiam pro impediendis vaporibus caput ferentibus vidi cum fructu adhiberi. Post unum, alterūmve vitrum blanda ambulatione corpus commoveatur, & posteà rursum bibatur; Sicquè practiceatur alternatim, donec præfixam quantitatem, quæ intra sesqui alteram horam, interdum etiam duas horas perfici solet, totaliter exhauserit.

Dixi ambulatione blandâ, non verò violento cursu, ut nonnunquam contingit, per valles, & montes corpus exercendum esse, alias natura per totum spiritus unâ cum Sudore dissipatos multum debilitata, non erit sufficiens in perferrenda tanta aquarum copia. Præterea claudicat, nulloquè nititur fundamento quorumdam opinio, qui putant acidulas semper per Sudorem operari debere, & absq; hoc nullam genuinam curam posse perfici. Ast multum à Scopo veritatis aberrant, agentia enim varios

rios juxta Philosophos producunt effe-
ctus, si subjecta variè sunt disposita;
hinc nostræ acidulæ, ut quotidiè obser-
vatur. pro materiæ peccantis, & via-
rum dispositione, variè etiam agunt, ac
modò per alvum crassiores, modò per
vesicam aquosiores, si non adest mea-
tuum urinariorum obstructio, modò per
sudorem subtiliores humores evacuant,
si ijs corporis peripheria infarta, & po-
rorum laxitate disposita est; Medicus in
hoc casu, tanquam fidelis naturæ mini-
ster, eam illuc, quo vergit, ducere de-
bet, uti vult magnus *Hippocrates* sect. 1.
aphor. 21. Non verò cogere tanquam
ejus Dominus, uti nonnunquam, sed pes-
simè practicatur: Aliàs humores circà
viscera per violentum hunc motum at-
tenuati pessima parient symptomata. Si
verò contingat, quòd æger ob colicam,
contracturam, & alios morbos ambu-
lare non posset, & tamen conveniret
hæc cura, dandæ etiam sunt in lecto,
dummodo ventriculus sæpè foveatur lin-
teis, calidis, quemadmodum vult Ma-
gnificus, & Clarissimus D. D. *de Sorbait de*
melancholia hypochondriaca praxi. *Med. pag. 172.*

Hic nonnulli eas priùs calefacere,

N

volunt,

volut, ne ventriculo, & visceribus fri-
gore suo noceant; ast experientâ do-
cente multa millia innoxie frigidas bibe-
runt acidulas: si enim calefierent, ob
spiritus avolantes magna virium conse-
queretur ruina, & esset periculum, nè
tepiditate suâ ventriculi tonum solve-
rent, & vomitum inducerent.

Quæritur nunc, utrùm etiam post
prandium sint bibendæ? R. Hanc con-
suetudinem apud Spadanas, & Schwal-
bacenses, aliasquè acidulas, olim fuisse
valdè communem, apud nostros tamen
nunquam aut rarissimè practicatur. Im-
primis enim nostræ aquæ sunt medica-
menta diurectica, quæ juxta tritum Me-
dicorum præceptum, non danda sunt
nisi longè à pastu, & corpore vacuo,
alias cibi unà cum ijs raperentur crudi
ad renes, multas ibidem obstructiones
producturi: hinc porrigendæ non essent,
nisi absolutâ concoctione, & chyli di-
stributione, id est, horâ sextâ, aut septi-
mâ à prandio, jam si hoc tempore rur-
sus biberentur, & transitus earum posteâ
expectaretur, cæna ante decimam, vel
undecimam vix esset instituenda, aut
planè omittenda, quod tamen ob famem

in hac cura ut plurimum urgentem, & alias rationes vix esset practicabile.

Porrò, qui tam post, quām ante meridiem se huic curæ accommodant, matutino tempore valdè parùm, scilicet duas, tres, quatuor, aut quinque ad summum libras ordinariò bibunt, à meridie eandem quantitatē repetentes: Nostrates verò sex, octo, decem, & plures subindè libras cum euphoria manè exhauriunt, & ita unà vice tantùm sumunt, quantum alij duabus, juxta illud: *frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Quare præstat, ut natura evacuationibus hiscè aliquantis per debilitata, modicūm quiescat à prandio, & bonis cibis postmodùm, alijsquè reficientibus refocilletur. Si tamen magna urgeret sitis, & vinum ob morbi constitutionem non posset admitti, subindè una, alteravè libra harum aquarum concedenda est, quod passim cum bono effectu præticatur à nostratis.



CAPUT XXXV.

Utrum per gradus ascendendum, & descendendum sit?

Moris fuit hactenus apud plurimos Medicos acidulas ascendendo à parva quantitate ad majorem, & posteà rursùs descendendo bibere, prout defacto adhuc balneandi modus apud thermas in usu est. Rationes insuper addunt, quòd acidulæ *primo*, esse debeant locò aperitivi, & digestivi, *secundò*, locò evacuantis, & *tertiò* tandem locò corroborantis. Alij rursùs ab initio volunt eas per alvum, & postea per renes operari, sic Clarissimus *Dominicus de Marchettis* in Consilio pro affectione hypochondriaca cuidam suāsit per quatuor primos dies octo libras cum aqua laxativa, & syrupo rosato solutivo per reliquos verò dies, libras duodecim cum spiritu tartari, & syrupo de succō limonum bibendas; Et videtur hæc ascensio esse ad mentem *Hippocratis 2. Aphor. 51.* ità loquentis: *Plurimum atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere, pen-*

ticu-

riculosum: quoniam omne nimium naturae ini-
micum, sed quod paulatim fit, tutum est, tum
alias, tum cum ab altero ad alterum transitus
fit.

Verum defacto apud plurimos exo-
levit in hiscè locis hæc consuetudo, sed
unā, eadēmquè dosi, sæpè per omnes
dies æqualiter bicuntur, siquidem in par-
va quantitate sumptæ remanent in cor-
pore, & stagnando plus nocent, quam
suis viribus prosunt, prout ex purgatio-
nibus in intestinis retentis evenire solet,
& etiam observat Magnificus, & Clarissi-
mus D.D. de Sorbait in prax. Med. pag. 167.
Vidi ipse met aliquoties, quod primā die,
duæ, vel tres libræ assumptæ, locò blan-
darum evacuationum, rugitus, disten-
siones, & alia mala produxerint, alterò
verò die, cum hanc curam pertæsi, no-
stro modo se accommodarent, easq;
ad libras octo assumerent corpus bene
expugnârunt, excrementa per alvum,
& urinam absquè torminibus evacuârunt,
tandemquè exoptatus effectus secutus
est. Nihilominus tamen tutius esse vide-
tur maximè in non assuetis, primo die
paulò minus; quam cæteris curæ diebus
bibere: sic vidi aliquoties primo die li-

bras sex, postea verò quotidiè libras octo, vel decem usquè ad curæ terminum assumi, & optimum effectum indè evenire.

Cæterum *Aphorismum Hippocratis* quod attinet, is suâ laude non defraudandus est, sed negatur suppositum, hanc quantitatem in his casibus posse dici nimium, non enim absolutè, sed respectivè cum ventriculi scilicet conferentia ly nimium, mensurandum est: Sic una libra respectu debilis, & recipiendis acidulis inepti ventriculi erit nimis multum, dum econtrà respectu fortis, octo libræ earundem aquarum erunt nimis parum: Si itaque tantum detur, quantum vires ferre possunt, sive sint duæ, sive duodecim libræ, aphorismi veritati nihil denegabitur.

CAPUT XXXVI.

Quantum acidularum nostrorum bibendum?

Quantitas acidularum in potu consideranda apud varios variat, alij enim, qui mineralia utpote corpori humano inimica nimium hor-

horrent, valde avarâ, alij eccontrâ largissimâ manu porrigunt. Sic *Horstius* in *descriptione Schwalbacensium* pag. 59. primâ die tria vitra, quorum duodecim unam mensuram faciunt non vult ascendere. *Montagnana* tract. 3. referente *Camerario* in *dissertat. Med.* pag. 15. aquarium mineralium non plus connivet bibendum, quam uncias quatuor, aut octo. *Tabernamontanus* à sedecim uncijs incipit, & surgit ad triplam, vel quadruplam dosin: Similiter sentit *Clarissimus Joannes de Lamzwerde*, qui in monitis salutaribus, de magno *Thermarum*, & acidularum abusu pag. 100. ita scribit: *Videor illæsa verecundiâ pronunciare posse*, ut aquæ medicatæ tutiùs, & certiori bibantur fructu, in difficilioribus infirmitatibus à tali sanguinis dyscrasia, vel viscerum obstructione exortis, quæ ad correctionem, & deterzionem indigent sulphureis, aluminosis, nitrosis, vitriolatis, ferreis, & ejusmodi naturæ particulis, *Thermarum*, & acidularum pocula numero, & mensurâ imminuenda esse, ut diutius in intestinis morentur, in quibus convenientiores illarum particulæ expressæ, & ex ijs sensim vias lacteas ingressæ, postea vivifico cordis, pulmonumque motu, ejusdem masse commodius intexantur, ut deinde à corde, quod sanitatis temonem dirigit,

observato naturæ ordine , ad noxias sanguinis
 particulas emendandas , vel ē visceribus tollen-
 das propellantur : Hæc ille , postmodum
 verò pag. 114 Justam acidularum , &
 ther marum desin ultra sex , vel septem
 uncias non admittit , eò quòd sanguinis
 error non corrigatur , transitorià intesti-
 norum ablutione , aut dissolvatur scir-
 rhosa viscerum compages , sed requiri-
 tur insuper , ut diu stagnent , & in cor-
 pore vires suas exferant . Verùm
 eccontrà inveniuntur alij , qui contra-
 riūn ē diametro tenent , & pro uncijs
 libras substituunt , existimantes , quòd
 exigua hæc quantitas , si in ventriculo
 stagnet , humores exasperando com-
 moveat , & commotos non valeat ex-
 cernere , unde tanta morborum &
 symptomatum exoritur diversitas , quem-
 admodum ipse aliquoties observavi , &
 etiam *Henricus ab Heer in Spadacrene* pag.
 100. de quâdam fæmina , scirrho lienis
 laborante , & spadam . Tanquam ad
 Æsculapij templum missà commemorat ;
 Hæc enim cùm ultra triginta uncias
 bibere non posset , primò in febrim
 tertianam , post octo dies verò in quar-
 tanam exitialem incidit , ægriorquè ad
 suos

suos redijt, quām illuc venerat; Quapropter multi, ut se ab his incommodis liberent, ingentem quantitatem ingurgitent, quemadmodum fecit ille Carthusianorum Visitator apud *Henricum ab Heer* loco citato, qui trisecli Nestoris annos, quinquaginta uncijs supéravit, ut verificetur illud Poëtæ:

Invenias illic, qui Nestoris ebibat annos.

Ordinarius tamen mos apud Nostrates est, quod in sano corpore raro minus, quām semi alteram, nec plus, quām tres, aut quatuor ad summum mensuras civiles ebibant; Inveniuntur tamen nonnunquam aliqui, præsertim Croatæ, & robustissimi homines, qui mirum in acidulis excedunt; Sic notus mihi est vir boni habitūs, qui quotidie septem mensuras cum fructu ebibit, idquè per plures dies continuavit. Major adhuc ante paucos annos inventus est acidularum nostrarum helluō, qui quotidie quindecim, & sedecim mensuras nostras, quæ uncias 720. & 768. faciunt, per aliquot dies cum bono effectu exhausit, de quo adhuc in

Parochia sanctæ Crucis sequentia pro-
stant Epigramata:

I.

*Exhaurire vales mensuras quinque decemquè
Ex acidis undis, quis tibi par numero?*

I I.

*Si bubulas acidum levat à putredine carnes,
Non timeas, quòd erit, putrida caro tibi.
Namquè acidi tantum sumpsisti gutture fontis,
Ut tua per totum sit tibi salsa caro.*

I I I.

*Sæcula de potu mirantur prisca Cleanthem,
Qui dulces toties noctibus hausis aquas.
Sed te Canonicum mirantur sæcula nostra,
Fons acideæ cuius guttura transit aquæ.
Es dignus dici grandis potator aquarum,
Potanti minimè sunt tibi vitra satis.*

Videtur hic acidularum helluo imi-
tari strenuum illum hydropotam, qui
intra 64. dies, 2689. sextarios, seu li-
bras medicas thermarum Carolinarum
ebbit, de quo refert Clarissimus Johan:
Georgius Volckhamerus in Ephemerid. Medico-
physic. anni 16. 82. observat. 179.

Verùm hos, & similes casus magis
admirationis; quàm imitationis gratiâ
apposui: Interim hoc universaliter no-
tetur, nil certè determinari posse, hu-
mo-

mores enim cacochymici in secunda, & tertia corporis regione existentes, maiorem quantitatem desiderant, quam in prima regione contenti; Denique aquarum dosis è virium, naturæquè constitutione, temperamento, ætate, præcedente victus ratione, reliquisque circumstantijs, minutissimè examinatis pertaina est; alia enim ventriculo debili, alia robusto, alia homini sobrie viventi, alia hellvoni præscribitur quantitas; Verbo: Tutissima regula est euphoria, seu bona tolerantia, non tantum per primos dies, sed per totum potationis tempus, quisquè itaque cum ventriculo rationem ineat, quantum aquæ posset ferre, & quam citò illam egerere; Hoc semper sibi firmiter imprimat: à juvantibus, & lalentibus haud malam sumi indicationem.

CAPUT XXXVII.

Quam diu? Et utrum in ipsa scaturagine bibendæ sint?

DE continuatione hujus curæ ediscere potest patiens, ex perpensis, si quos sentire incipit,

cipit, aquarum effectibus, collatis cum
 ætate, complexione, sexu, alijsquè cir-
 cumstantijs numerum dierum varianti-
 bus, idquè optimè, si cum Medico de
 hoc egerit: Morbi enim alij, sive cau-
 sæ morbificæ, sive partis effectæ culpâ
 facile, alij difficulter tolluntur, & effe-
 ctus nonnunquam in ipso usu, nonnun-
 quam verò post multos dies primò pa-
 tefiunt. Nostrates ut plurimùm hanc
 curam per quatuordecim, vel viginti
 dies nonnunquam etiam per quatuor
 septimanas, continuant, & statuunt,
 cessandum tunc esse, quando per ali-
 quot dies excrementa alvi rursus aquæ,
 & spumosa exeunt, existimantes humo-
 rum excrementitorum saburrham jam
 esse abundè ablatam, & gratis naturam
 postmodum onerari acidulis. Verùm hoc
 optimè ut plurimùm practicatur & non
 contemnendum signum est in corpore
 cacochymico, nihilominus tamen non
 universaliter verificatur, quia dantur
 subindè morbi independentes ab humo-
 ribus vitiosis (v. g. Intemperies calida.
 viscerum absquè magna materia) quibus
 acidulæ etiam convenient, magis alte-
 rationis, quàm evacuationis gratiâ, ubi

subinde primis diebus excrementa aquosa apparent, & tamen à cura non oportet cessare. Denique hoc pro optimo sit directorio: dierum numerum esse augendum, si morbi sunt inveterati, ac chronicci, orti à viscidis humoribus, & in secunda corporis regione residentibus, diminuendum verò si sunt recentes, & producti in ventriculo, & intestinis, ab excrementis tenuibus, facilequè per has aquas evacuabilibus.

Cæterùm hoc notandum, quod optimè sanitati suæ consultant, qui finitâ hâc curâ, denuò blando medicamento corpus expurgant, & acidulas, si forsitan in eo manserint: ex integro evacuant, nosco hic quendam Parochum qui in fine curæ, assumptâ levi purgatiunculâ ingentem adhuc aquosorum humorum quantitatem ejecit, quæ in corpore retenta infallibiliter varia produxisset symptomata.

Quæritur utrūm uno, alterōve die ab hac cura cessandum sit, si acidulæ ob pluviosum cælum ad plures dies aciditatem suam amittunt, turbantur, & viribus suis quodam modo destituuntur? R. Propterea ab incepto opere non esse retro-

trocedendū, sed earum languentes vires, pluvijs obrutæ, convenientibus pharmacis rursus excitandæ sunt, sic si per alvum exoptatum effectum non possent præstare, promovendæ essent, pulvere Jalappæ, diagridio, cremore tartari, Syrupo florum persicorum, &c. Si in cienda urina morarentur, succurrentum esset sale acidularum, spiritu tartari, Syrupo fragorum, oculis cancri, alijsquè diureticis. Cæterùm meo Judicio optimè, & providè faciunt, qui aliquot vitra sereno tempore repleta, & benè clausa reservant, postmodùm Jove pluvio ebibenda.

Quæritur secundò, utrùm melius fiat, si acidulæ in ipsa scaturagine, vel ad longinqua loca portatæ bibantur? Rx. Locum bibendis acidulis commodissimum esse ipsam scaturiginem, juxta illud:

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Quod suavitas saporis, integritas odoris, coloris probitas, substantiæ tenuitas, & claritas, ac operationis felicitas, quæ omnia ibi eminent, summè confirmant, aquæ enim istæ, ut jam saepius dictum, constant partibus volatilibus,

bus, & fixis, quæ in deportatione partim avolant, partim etiam præcipitantur in forma terræ candidæ ad fundum, & compositum tali modo dissolvitur, viresquè minuuntur. Existimant quidem aliqui, quòd aquæ istæ in aliena loca deportatæ ratione virium exalentur; Verùm experientia docet contrarium, siquidem à plurimis fide dignis mihi relatums est, se aliquot annis tam in ipso fonte, quàm extra eū, prædictas acidulas bibisse, nullibi tamen majorem assecutos esse effectum, quàm apud scaturiginem, ubi non adeò pridem pro majori hospitum accommodatione, ædificium ab Illustrissimo Domino Barone Curti exstruetum, & victualibus, cæterisquè requisitis provisum est. Si verò ob hominum copiam, loca omnia essent impleta, conferant se potatores ad vicinas urbes Marpurgum scilicet, & Pettovium, ubi non solùm acidulæ quotidie recentes, sed etiam necessaria medicamenta ex pharmacopolijs ritè exstruetis haberi possunt, ut symptomatibus in cura nonnunquam supervenientibus eò melius eatur obviam, & succurratur.

CA-

CAPUT XXXVIII.

*De symptomatibus in genere,
& utrum ijs in ipsa acidularum cura
supervenientibus incæptus potus interrumpendus
sit?*

Tritum, & apud omnes Philosophos, uti jam dictum receptum axioma est: *Bonum ex integrâ causa, malum ex quovis defectu;* Hinc curatio nostra per acidulas tam diu retinet nomen boni, quam diu omnia juxta prudentis Medici consilium exactissimè observantur, & assumit characterem mali, dum in minutissimis committitur error; diversimodè autem hydropotæ, videlicet in, & ante potum, à legitimo scopo deflectunt; & quidem ante potum, dum cum magna humorum sarcina sine prævijs purgationibus, venæ sectionibus, obstructionum reserationibus curam incipiunt, in potu vero, dum in tali ætate, & affectu morboſo constituti, se huic curæ accingunt, quæ planè effet omittenda, aut si etiam convenit, peccant tamen acidularum quantitate aucta, vel diminuta, alijsquæ in cibo,

bo, & potu, corporis motu, & ira commissis erroribus; Unde non mirum, quod tanta morbosorum accidentium supplex resultet, quæ potatores ab incæpto opere non solùm deterret, sed sæpè etiam in lethales, morbos per pessimam metamorphosim transmutat, nisi à Medicis tempestivè feratur auxilium. Horum autem Symptomatum tanta est varietas, ut ijs secundùm principia medica accurate describendis integer tomus non sufficeret; Ego interim ea attingam, quæ communiter fieri solent, breviterq;, & in specie dicam, quo pacto ijs per artem Medicam obviandum sit.

Antequàm autem in particulari aliquid decidatur, quæritur priùs, utrum supervenientibus hiscè morbosis accidentibus curæ valedicendum, & paulisper quiescendum sit? R. Duplicem hic à nonnullis exoriri opinionem: aliqui enim indiscriminatim, & audaciter, absq; omni Medici consilio, has aquas ingurgitant, & quibuscunquè morbi symptomatibus supervenientibus, à potu nolunt resistere, putantes eadem mala, quæ ab acdulis introducta sunt, rursùs ijsdem posse auferri, quemadmodùm ictus Scorpio-

nis per eundem attritum tollitur, & cu-
ratur.

Econtrà dantur alij, præsertim hy-
pochondriaci, qui videntes, quòd cura
ob irruentia Symptomata ad nutum non
succedat, immediatè contristantur, de-
sperant, à cura cessant, & firmissimè sibi
imprimunt continuatione curæ, mala ad-
huc magis augeri, & tandem pessimum
imminere vitæ epilogum.

Verùm cum virtus in medio sit, u-
traquè pars à via veritatis aberrat; pri-
ma enim nimia temeritate, altera verò
pusillanimitate; nam quemadmodum il-
lud falsum est: omnia mala ab acidulis
inducta ijsdem tolli posse, ità & hoc ve-
ritati dissonum, quòd nostræ aquæ nulla
symptomata à se excitata rursus valeant
compescere.

Nè igitur in errorum charybdim in-
cidamus Symptomatum distinctione, &
eorum causarum examine opus est, ve-
rus enim curandi processus à cognitione
naturæ, morborum, causarum, & reme-
diorum unicè dependet, quia hæc so-
lùm in curandorum ægrorum pelago est
cynosura ab honorandis Facultatis no-
stræ proceribus varijs in locis expressa:

Medi-

Medicus scilicet in tantum bene curat. in quantum bene cognoscit. Unde distinguendum, & notandum, quod quædam Symptomata ab acidulis sint introducta, quæ earum usu continuatio foventur, & augentur, & in hoc casu optimum est interrumperе earum potum, & illa alijs medicamentis curare: quædam verò ab ijs non foventur, & possunt rursùs per eas extirpari, dum nimirùm causa quieta anteà, & latens, nunc excitata, ab acidulis istis, per varia corporis emunctoria expellitur, aut sistitur, & tum potus earum continuandus, nisi vires ab ijsdem symptomatibus nimium debilitate repugnarent. Declaretur exemplis: Sit aliquis complexionis biliosæ, qui aggreditur curam corpore nondum satís præparato, & corripitur alvi fluxu bilioso, vires non admodum debilitante, quæritur nunc, utrum potus adhuc continuandus sit? R. Affirmativè, quia humores bilosi antelatentes, nunc excitati hâc curâ afferrentur, & ita ablatâ causâ tolletur effectus scilicet morbosum hoc accidens; videntur itaque acidulæ in similibus affectibus idem præstare, quod Rhabarbarum usitatissimum in diarrhæis medi-

camentum, dum post evacuationes alvinas suo Marte, & terra albicante intestina modicè subadstringunt, fibrarum tonum restituunt, & roborant.

Aliter verò procedendum est, & cura penitus omittenda, si causa morbi-fica per potum augeatur, v.g. sit Juve-nis humorum acrimonia scatens, & ad phthisim dispositus, dum bibit, corripi-tur tussi, angustia pectoris, & sputo cru-ento; signum enim hic est, humores a-liunde acres à sale acidularum adhuc ma-gis fuisse acuatos, & nisi interrumpatur cura, causa morbi adhuc magis fovebi-tur, & omnia pessimum habebunt exi-tum.

CAPUT XXXIX.

Quid faciendum, si acidulæ re-tineantur in corpore, aut vomitus in ipsa cura superveniat?

DUm acidulæ per alvum, & ve-sicam ob varias corporis dispo-sitiones non exeant, varia ex-citantur Symptomata, vel enim retinen-tur in intestinis, unde rugituum, flatu-um, & distensionum copia exoritur, vel per

per lacteam microcosmi viam, ad cor-
dis thalamum, & massam sanguineam,
major solito quantitas advehitur, à quâ
sanguis nimium refrigeratur, vitalis mo-
tus debilitatur, vel etiam planè possit
extingui, prout optimè admonet Clas-
sissimus de Lamzwerde in suis monitis saluta-
ribus de magno Thermarum & acidularum abusu
pag. 140. Quæritur nunc, quid tum fa-
ciendum? R. Protinus illæ ex corpore
eliminandæ sunt, nè verificetur illud,
quod Crato lib. 1. epist. de Therm. Hirschber-
gensibus asserit: nihil tam esse noxium, quam a-
quam medicatam potam retineri in corpore. Si-
militer Willis cap. de colica, fideliter ad-
monet, ne stagnent in corpore, sed ut
benè, & celeriter per alvum, & urinam
exeant, nè fortè, si in corpore diutiùs
morarentur, in caput, aut pedes incur-
rendo, uti crebrò solet fieri, vertiginem
aut podagram inducerent. Hinc si reten-
ta hæc quantitas cordi, & massæ sanguini-
neæ jam fuisset admixta, & nimio frigo-
re totam œconomiam ejus perverteret,
quod ex pulsu, cæterisque cognoscitur,
tum medicamenta alia porrígenda sunt,
& potus acidularum interrumpendus,
continuandus verò, si solummodo in in-

testimis adhuc hæreant, interim admisceantur ijs purgantia, & stimulantia: Nostrates exhibent Crystallorum Tartari, salis acidularum ana grana XV. cum granis V. vel VI. diagridij sulphurati, vel species Diajalap. Mysichti à drachma semis ad duos scrupulos, vel aquam laxativam Viennensem *D. D. Mannagetta*, vel syrup. florum perficorum, &c. Item porrigunt clysteres hydragogos, & alios cathareticos, vel locò horum applicant suppositoria. Rarissimè tamen in nostris aquis, quorum operatio potissimum per alvum fit, hoc symptoma deprehenditur, præsertim si præservationis gratiâ pulveres stimulantes, & laxantes in primo vitro assumantur.

Ridenda est hic nonnullorum, maximè hypochondriacorum consuetudo, qui minutissima quæquè observantes, excrementa alvi, & vesicæ ponderant, & mensurant, cum aquis potatis postmodùm comparanda, si itaque ea inventiat majoris quantitatis, quam fuerunt assumptæ acidulæ, spem in augusto ponunt, fluxum colliquativum, & alia mala somniant; Si verò quantitas deficit, rursus desperant, & retentas aquas

aquas mille morbos producere existimant. Ast admonendi sunt hi pusillanimes, quod quantitas excretorum non mathematicè, sed moraliter intelligi debeat, nam quamvis aquæ nostræ, ut antè dictum, ut plurimum, effectum suum per alvum, & vesicam præstent, nihilominus tamen ijs in alijs corporis emunctorijs non denegatur exitus, quæ varia sunt, & imprimis cutis pori cum suis glandulis, & ductibus sudoriferis
 à Clarissimo *Malpighio* per *microscopia detectis*, unde per has vias, dummodo à frigore externo non constipantur, magna acidularum quantitas cum sudore aliquando excrenitur, prout aliquoties in hydropotis observare potui; Præterea per modum vaporis, & exhalationum potest per eosdem poros consequi insensibilis transpiratio, potissimum si fervida adest viscerum intemperies. Sic refert *Geilfusius* in *acidularum Schwalbacensium descriptione*, cap. 5. pag. 23. quod quidam toto curæ tempore nullum transitum dictarum aquarum per urinam, & alvum habuerit, quæ absque ulla offensione per insensibilem transpirationem evacuatæ fuerint quantum autem in-

sensibilis hæc evacuatio superet cæteras sensibiles corporis excretiones, *ex sancorio*, qui multa de hac doctissimè scripsit, petendum est.

Huc etiam referuntur ductus salivales à Clarissimo Stenone, & Warthone inventi, per quos nonnunquam saliva, quæ in hac cura aliquando movetur, excernitur: Hinc si per tot vias acidulae inveniant exitum, postmodùm non mirum est, quòd in evacuationibus inferioribus deficiant, qui defectus tamen aliquando per alios in abdomen contentos cacochymicos humores solet restituī.

Vomitum quod attinet, is aliquando in nostris hydropotis deprehenditur, non autem oritur ab acidulis vi emetica specificè præditis, prout nonnulli sibi falsè persuadent, sed producitur à perversis humoribus in ventriculo stagnantibus, qui, si quantitativè peccant, facile cum aquis nostris pugnam effervescendo ineunt, in qua acriores humorum particulæ ad orificium superius ventriculi, propter sextum par nervorum summè sensibile, elevatæ, tunicarum fibras irritant, quarum opere post-

mo-

modum omne illud, quod naturae molestum est, constricto pyloro, & dilatato œsophago, per violentum motum excernitur, & eliminatur.

Pro hoc malo avertendo nonnulli à cura cessant, & porrigunt vomitoria, volentes vomitum vomitu curare, quemadmodum subinde extra hanc potationem feliciter practicatur; Sed cautelâ opus est, ne contingat, quod contigisse refert *Horstius in descriptione acidularum Schwalbacensium*, cuidam Comitissæ Rheni, quæ ob forte vomitorium ex gummi guttæ assumptum, in summum vitæ discrimen incurrit, & in agonem jam præcipitata fuit. Interim tamen cura adhuc continuetur, & vomitus, nisi cum magna virium ruina fiat, non statim sistatur, quia acidulæ, per eam viam excrementa expellunt, quæ ad hoc opus maximè est disposita; Porro videmus sæpe per unicum vomitum, tantam humorum saburram evacuari, quæ per plures alvi evacuationes non potuisset afferri. Si verò aliquamdiu jam duravit, tum etiam necesse est, eum compescere, quod fiet, si natura per medicamenta alvum laxantia, aci-

dulis admixta , vel per clysteres , ad motum contrarium avocetur , & ventriculi tonus varijs remedijs tam internis , quām externis , roboretur : Interna usitatoria sunt , Morsuli Imperatoris , Tragæa grossa , cortices aurantiorum , & citri conditi , Zingiber condit : Elixir proprietatis Paracelsi . Extra ventriculus inungatur oleo stomachali Cratonis , balsamo Peruiano , oleo nucifæ expresso , mastichino , cydoniorum admixtis aliquot guttulis olei destillati absynthij , menthæ &c. vel applicetur emplastrum de crusta panis , vel cataplasma contra singultum Mynsichti , vel fiant sacculi ex comis absynthij pontici , mentha rubra , rosis , galanga , Zedoaria , calamo aromatico , nuce muschata , caryophyllis &c. tepidè applicandi . Si tamen malum adeò effet contumax , & vires nimium deijceret , nequè hisce medicamentis cedere vellet , cura ad aliquot dies totaliter interrumpenda est , & remedijs præscriptis , alijsquè malum hoc symptomata auferendum . Hoc tamen insuper notetur , quòd nostræ hydropotæ hoc affectu rarissimè , nisi materia antè eò inclinaret , vexentur ,

tur, quia ob Martem, aliaquè mineralia ventriculus valde roboratur, quod multis acidulis denegatum est, & ipse met in aquis non procul à Pinckenfeldt in Hungaria scaturrentibus, & gratissimâ aciditate præditis expertus sum, quæ in loco recreationis solummodo gratiâ potæ induxerunt mihi nauseam, & vomitum.

CAPUT XL.

*De colica flatibus distensione,
& dolore ventriculi, ardore dextri
hypochondrij, tinnitu aurium, ac genarum
rubore.*

Latulentum, & colicum hoc symptoma, ut plurimum contingit hypochondriacis, maximè ijs, qui non satis præparato corpore ad curam accedunt, vel dum acidulæ non sufficientem habent exitum, & in corpore stagnando efferuescentias istas violentas efficiunt. Cura hic pro causarum varietate varianda est; Sic si causa est succus biliosus, pancreaticus in intestinis interventu acidularum effervesces, & vapores acres sursum ad ven-

ventriculum , aliaquè loca distribuens ,
 doloresquè , ac flatus excitans , potum
 acidularum non oportet interrumpere ,
 sed totam massam excrementitiam unà
 cum aquis è corpore eliminare , quo
 facto , ablatà scilicet causà tormina
 etiam cessabunt , uti in alijs assumptis
 purgantibus omnes dolores ab humo-
 ribus acribus excitati , finitâ purgatione
 ut plurimùm cessare solent ; Interim
 tamen Stomachicorum , & anticolico-
 rum temperatus usus non negligendus
 est . Si cardialgia , & dolores colici
 nimium cum virium ruina intenderen-
 tur , quod tamen raro solet fieri , po-
 tatio ad tempus differenda est , & causa
 morbifica præparanda , & evacuanda ,
 & tandem symptomata compescenda .
 In quem finem , si colica urgeat , dan-
 da sunt enemata v. g. carminativum
Mynsichti , ventri applicentur anodyna ,
 & discutientia in forma cataplasmatum ,
 unguentorum &c. per os elæo sacchar
 etri , anisi , carvi , tintura anticolica
Michaëlis , oleum amygdalarum dulcium
 &c. Reliqua pro temperamenti , æta-
 tis , aliorumquè accidentium varietate
 à practicis petenda sunt .

Qui

Qui temperamenti calidi, & siccii
 sunt, & acrimoniâ biliosâ scatent, hi
 ardore dextri hypochondrij, tinnitu au-
 rium, & genarum rubore nonnunquam
 corripiuntur; modus autem causandi, ut
 jam suprà fuit insinuatum, sic peragitur:
 sal acre, & lixiuum in bile prædominan^s
 in intestinis cum acidularum sale acido
 incipit effervescere, unde acriores, &
 calidiores resultantes particulæ unâ cum
 cæteris humoribus rapiuntur ad venas la-
 eteas, è quibus tandem per ductum
 thoracicum adductæ massæ sanguineæ in
 vena subclavia commiscentur, cordique
 communicantur; hic sanguis utpotè in
 vera hæmotoseos officina, ob hanc par-
 ticulas fermentativas adhuc magis ra-
 rescit, & incalescit, taliterquè rarefa-
 tus, lege circulationis ad omnes corpo-
 ris partes advehitur, undè excitatur pul-
 sus frequens, & celer, tinnitus, & sibi-
 lus aurium ob sanguinem præterlaben-
 tem, & ebullientem in carotidibus, quod
 in febribus nonnunquam observatur: in
 hepate ob latentes jam ante particulas
 biliofas, & acres, de novo effervescentia
 exaltatur, hinc ardor hic magis quam
 in cæteris corporis partibus percipitur,
 genas

genæ quoquè ob porosiorem cutem, rubore quodam, guttæ rosacæ quasi analogo tinguntur. Quare hiscè perpensis nonnulli se febricitare autumant, & cum volunt interrumpere, verùm interrumpenda non est, quia hoc accidens febris non meretur, solummodo est ebullitio sanguinis non diu perseverans, quæ tunc cessat, dum acriores fuligines unâ cum sudore in similibus casibus, ut plurimùm observabili, expirant, aut dum bilis cum acidulis per intestina expurgatur, adeoque hæc symptomata non tantum portendunt periculum; interim tamen oportet stomachica, & aromaticæ, quæ effervescentiam promovent, ad tempus omittere, & locum horum, refrigerantia emplastra, & unguenta jecori applicare, atquè potum usquè ad præscriptum terminum continuare, alias posset fieri, quòd interruptâ curâ præcipitati ex hâc ebullitione humores retinerentur in corpore, à quibus postmodum, (uti in medicamentis alijs præcipitantibus intempestivè adhibitis videre est) pessima possent proſilire symptomata.

CA-

CAPUT XLI.

*De urinæ retentione, & ardore
subinde in hac cura supervenientibus.*

Si potatores intestinis laxis sunt præditi , ut plurimū aquæ nostræ exitum quærunt per alvum , si verò renes laborant intemperie calida , ad eos æquè magna illarum quantitas arripitur , dum acida alioquin per se , si alkalinis miscentur , sunt egregia diuretica , & aperitiva teste Ehrenfrido Hagendernio , suæ cynosbatiologiæ pag . 132. nihilominus tamen aliquando solet fieri in corporibus impuris , & ante curam nostram non sufficienter expurgatis , quòd acidulæ parùm , aut nihil per vesicam operentur , & ità unâ cum urina in corpore stagnantes , varia mala inducant ; Causa est nimia renum , & ureterum obstructio , quæ ante curam deoppilativis , & blandis diureticis fuisset reseranda vel nimius excrementorum affluxus , qui ope acidularum ad vasa urinaria nimis velociter raptus , novas quantitate suâ parit obstructiones . Curam quod attinet , attendendum

dum hic est, ut humores ad motum contrarium, ad intestina scilicet revelantur, & revocentur, quare per clysteres, & medicamenta catharetica supra de acidularum retentione insinuata, occurrentum est; Postmodum vero diuretica blanda porrígenda v. g. Aq. fæniculi, cherefolij, fragariæ, petroselini, antinephritica *Tilingij*, syrupus Altthææ *Fernely*, capillorum veneris, oximel diureticum *Zwelfferi*, Balsamus sulphuris terebinthinatus, tinctura Nephritica *D. D. Sorbait*; Oculi cancri, sal contra calculum *Crollij &c.* Extrà applicentur cataplasmata, emplastra, unguenta, quæ emolliunt, visa dilatant, & urinam provocant, vel etiam urgente necessitate præparetur balneum, vel semicupium ex ijsdem herbis diureticis, & emollientibus. Vehementiora autem diuretica, & lithontriptica hic fugienda sunt, præsertim ab initio, antequam corpus ab humorum saburra liberatum fuerit, alias obstrunctiones adhuc magis austæ possent lethales affectus inducere.

Urinæ ardore nonnulli adeò deterrentur, ut sibi præsentiam calculi, & arenularum

arenularum firmissimè imaginentur ; Non inficiàs quidem eo , calculosum affectum aliquando concomitanter habere urinæ ardorem , attamen non est signum patognomicum , sed plura adhuc alia adesse , necesse est ; Solummodò hoc provenit ab humoribus acribus , qui urinæ admixti sua acrimonia urethræ interiorem , & summè sensibilem tunicam , vellicant , rodunt , & tristem istam sensationem efficiunt.

Pro hoc malo avertendo acres humores à vasis urinarijs ad intestina motu contrario revellantur , & eorum acrimonia anodynīs demulceatur v. g. syrupo de Althæa *Fernely* , de glycyrrhyza , aquâ contra ardorem urinæ *Mynsichti* , trochiscis de *halacacabo Mesue* , spiritu terebinthinæ , Aquâ , & conserva florū Maluæ &c. Acidularum tamen cura hic non interrupta est , nisi alia adessent contraindicantia , quia mali causa per easdem evacuatur , uti aliquoties vidi , hydropotas solummodò primis diebus hoc symptomate (dum nimirum humores ad fluxum irritarentur) divexari , postmodùm verò malum spon-

te disparuit, sublatâ videlicet, & exclu-
sâ unâ cum acidulis humorum acrimoniam.

CAPUT XLII.

*Quid faciendum, si fæminæ in
ipsa potatione menstrua acquirant?*

QUOD acidulæ nostræ tam ad si-
stenda, quam ad cienda men-
strua, in certis scilicet casibus,
adhiberi possint, ex suprà dictis jam con-
stat, quæritur nunc, si fæminis actu has
aquas potentibus menstruus fluxus su-
perveniat, quid tum faciendum? Utrum
fluxus sistendus, aut cura interrumpen-
da sit? R. In hoc casu nonnullos admo-
dùm esse timidos, qui incæptum aqua-
rum potum immediatè menstruatis dis-
suadent, ne evacuationes per alvum,
& urinam ab acidulis institutæ sanguinem,
& vitiosos humores ad uterum
fluentes ab hoc laudabili naturæ opere
revocent, & plurima mala inde proge-
nerent. Ast distinctione hic opus est,
considerandæ enim sunt menstruæ pur-
gationes, utrùm sint naturales, aut præ-
ter naturales; si naturales, id est, si sta-
tuto tempore, convenientे quantitate,
& de-

& debitâ qualitate se insinuant, nulla-
 què peregrina concomitantur sympto-
 mata, potatio non interrupta est,
 suadente *Bolmanno* in *descriptione acidularum*
Pyrmontanarum pag. 80. sed quantitas solum-
 modò aquarum modicè imminuetur,
 quod feliciter sic successisse mihi ab ali-
 quot fæminis relatum est. Quod si
 verò præter naturam, id fiat, & fluen-
 tibus mensibus diversa symptomata
 oriuntur, aut fluxus impeditur, signum
 est naturam in suo opere turbari, adeo-
 què à potu ad aliquot dies omnimodo
 abstinentia est, & fluxus diminutus,
 aut abolitus medicamentis menstrua
 promoventibus provocandus, cæteris-
 què symptomatibus pro causæ diversi-
 tate succurrendum, alias facile posset
 fieri, quod *Henricus ab Heer* in *suis obser-*
vationibus pag. 16. de quadam puella
 22. annorum factum esse refert, cui
 irrumpentes menses per continuatio-
 nem spadanarum acidularum immediate
 cessârunt, quo facto sanguis uterino
 fermento agitatus (quomodo hoc fiat,
 videatur *Regnerus de Gräff de organis mu-*
lierum cap. 9. & *Isbrandus à Diemerbröck*
anatomæ lib. 1. cap. 24.) & retentus in-
 gentem

gentem cephaleam , acutam febrim, delirium , linguam scabram , & nigricantem, aliaquè mala produxit, à quibus tandem saphenarum sectione, purgatiunculis per epicrasin repetitis, alijsquè congruis remedijis liberata , & ex Orci faucibus erepta fuit. Similiter etiam faciendum , si à vasorum dilatatione, aut humorum tenuitate , per anastomosin , aut diapethesin productus fluxus nimium excederet, & quantitate præternaturali peccaret , tum protinus acidulæ amovendæ , & medicamentis specificis juxta Methodum mendendi utendum , auxus sistendus , & uterus roborandus.

CAPUT XLIII.

De Diarrhæa dysenteria , Ani pruritu & dolore.

Dum acidulæ multum vitiosorum- & latentium humorum in visceribus inveniunt eos ad intestina promovent , & evacuant, quæ evacuatio , si nimium excedat, dicitur diarrhæa , & quidem biliosa , si bilis, pituitosa , pituita habeat dominium ; In

In hoc casu vulgus nostras aquas horret, & immediatè ad medicamenta adstringentia , tanquam ad sacram anchoram confugit , existimans alvi fluxum per contraria astringendo , & non per similia laxando , debere corrigi ; Verùm si experientia tanquam optima rerum magistra hâc super re consulenda est , docemur manifestè , nunquam in alvi fluxu fructuosè adstringendum esse , nisi morbi causa per prævias purgationes abundanter evacuata fuerit , hinc locum optimum habent nostræ acidulæ , & potatio adhuc continuanda est , nam præterquam , quòd humorum sarcinam expurgent , hoc insuper gaudent privilegio , uti Rhabarbarum , & cortices myrobalanorum citrinorum , decantata illa per tot sæcula in hoc malo remedia , quòd intestina modicè etiam subadstringant , fibrarum amissum tonum restituant , & robore novo exhilarent . Si vero diarrhæa nimiùm intenderetur , viriumquè magnam ruinam induceret , præstat acidularum curæ ad tempus valedicere ac alia convenientia medicamenta exhibere , de quibus consulendi practici .

Notandum præterea est, aquas nostras, ut plurimum de die sexies, octies, aut etiam decies per alvum operari, hæc tamen evacuatio non meretur nomen diarrhææ, sed est naturalis ope acidularum producta, quæ etiam circa curæ finem, ablatis scilicet humoribus sponte diminuitur, & solùm aquæ absque magna humorum miscella per pauciores vices exeunt.

Si dysenteria potantes corripiat, tutius est ab his aquis abstinere, ne inflammationes, & ulceræ augeantur, humores attenuentur, & fluxiores redundantur, postmodum lethales affectus eveniant. Rarissimè quidem cruentus iste fluxus apud acidulas nostras comprehenditur, & semel duntaxat audivi, illum supervenisse, qui tamen interrupta curâ protinus ablatus est.

Qui humoribus atrabilarijs adustis, & falsis infarti sunt, sæpissimè in hâc curâ corripiuntur ani pruritu, & dolore molestissimo, quemadmodum illis etiam in assumptis alijs purgantibus, maximè circa purgationis finem contingere solet oritur autem molestissimus hic pruritus ac assidua mordicatio ab humore falso,

falso, & acri, qui sphincteri inhærens, tristem hanc sensationem producit; Ratio autem, quòd non intestinis, sed solummodo in ano hic affectus ab humoribus falsis inducatur, videtur esse hæc, quia à glutinoſo, & viscidio interiori intestinorum tunicæ inhærente muco, humorum acrimonia in intestinis obtunditur, & impeditur, anus verò hoc muco deſtitutus, non eſt ſufficiens, ut eam corrigat; Accedit insuper quòd anus ob ſubtiles membranas ſit ſummè ſenſibilis, quod ex tenefmo, & doloribus hæmorrhoidalibus clarè patet; Imò refert *Felix Platorus lib. 2. obſervat.* quendam, qui charta, in qua piper anteà contentum fuerat, anum abſterſſerat, in tantum dolorem, & ardorem incidiſſe, ut nul- libi quiescere potuerit, & præ dolore ſæpè infanierit.

Cura conſiſtit in hoc, ut humor falsoſus, & acer per acidularum continuationem expurgetur, & dolor anodynus demulceatur, & mitigetur; Quare vitanda eſt nimia ambulatio, quâ clunes multùm agitarentur, & malum exasperaretur. Anodyna applicentur

varia v. g. unguentum de linaria, vel sola linaria in adipe porcino cocta, & admixto vitello ovi applicata, quod *Georgius Horstius* in hoc affectu summè recommendat, refertquè *Joannem Wolfium* pro sola communicatione hujus arcani à Lantgravio Hassiæ singulis annis bovem saginatum accepisse, unde versiculo illi:

Efula lactescit, sine lacte linaria crescit.

Efula nil nobis, sed dat linaria taurum.

Item applicetur unguentum de lythargyro, vel fiat mixtura, ex bu-tyro insulso, vitello ovorum, mu-cilagine seminis psylij, cydoniorum, croco, oleo rosato, verbasci, liliorum alborum &c. vel linteola mucilagine tragacanthi, unguento populeonis, & vitello ovorum intincta, vel solo cre-more lactis madefacta applicentur, vel foveatur pars affecta decocto foliorum maluæ, violariæ, florum verbasci, ro-sarum &c. Nostrates, ut se ab haç molestia liberent, linteola acidulis in-tincta, locò abstensorij applicant, & dolorem særissimè tollunt; Alij rursus vitatis omnibus abstensorijs asperis, so-lummodo

Iummodò utuntur chartâ illa rubrâ, quâ auri, & argenti folia apud pictores involuta sunt, hæc enim ano admota instar chartæ bibulæ, & emporeticæ humores falsos omnimodè imbibit, & dolorem ex ijs ortum postmodùm auffert, vel mitigat.

CAPUT XLIV.

De somno immodico, fame aucta, & spasmo pedum.

Qui temperamenti sunt humidi, subinde divexantur magna inclinatione ad somnum, præsertim post prandium: Causæ sunt vapores ciborum in ventriculo coctorum, uti etiam copiosi phlegmatis attenuati per acidulas, qui ad cerebrum elevati organa sensuum occupant, & somnolentiam istam inducunt. Somnus iste meridianus ijs concedendus non est, nisi assuetis, ne plura mala inde eveniant, quod ante aliquot annos Religiosus quidam, præservationis gratiâ solummodo bibens, cùm in hoc peccaret, & tertianâ corriperetur, benè expertus est. Quare potatores per honestas

nestas conversationes, & hilares discursus ab hoc arcendi, & distrahendi sunt: Si verò nimiùm hæc somnolentia intenderetur, & hisce non cederet, phlegmata per purgantia acidulis mixta, evacuentur, vapores per balsamum ruthæ, lavendulæ, oleo castorei &c. discutiantur, & cerebrum per species pro cucupha Schræderi, vel Michaëlis, aliaquè cephalica roboretur, & muniantur.

Quæritur unde veniat, quòd ab hydropotis nostris appetitus comedendi adhuc retineatur, imò ut plurimùm augeatur, qui tamen in alijs corporis evacuationibus, & purgationibus ordinariò prosternitur. R. Si verùm est, quod Clarissimus *Isbrandus à Diemerbroch* in sua *Anatome lib. 1. cap. 6. de fame* afferit, ubi statuit, eam fieri à particulis acribus fermentaceis, genitis ex deglutitione salivali succo, alijsquè quibusdam subsalsis, acidisquè ingestis, ventriculi tunicis inhaerentibus, ab eoquè ad aliquam aciditatem productis, vel ab expulso chylo in eo residuis interiori rugosæ membranæ (præcipuè circa orificium superiorius) affixis, eiquè molestam vellicationem

tionem inferentibus , quâ per nervos
 sextæ conjugationis , cerebro commu-
 nicata , excitatur imaginatio cibi su-
 mendi ad molestam corrosionem demul-
 cendam ; Si inquam hypothesis ista ve-
 ra est , facilè liquet , unde hoc prove-
 niat , nam primo nostræ acidulæ appe-
 titum excitant , dum tollunt impedi-
 menta , videlicet expurgando viscosos ,
 & biliosos humores , à quibus fermenta-
 ceæ particulæ fuerunt obrutæ , & op-
 pressæ , secundò dum easdem particulas
 exaltant , tribuendo illis majorem vi-
 gorem , & aciditatem . Quòd autem
 rebus acidis appetitus excitetur , jam
 vetulis medicatricibus nec veterum ,
 nec Neotericorum methodo instructis
 notum est , quæ in similibus casibus sua-
 dent , juscula acida , & ad pixidem cre-
 moris tartari , tanquam ad Æsculapij
 templum properantes confugiunt , &
 exoptatum effectum sæpiissimè nanci-
 scuntur . Quare meritò deridenda est
 nonnullorum opinio , famem ab inani-
 tarum partium tractione , seu suctione
 fieri statuens , ubi partes inanitæ ali-
 mentum ex venis , hæ ex hepate , he-
 par ex ventriculo sentiente facultate
 prædito ,

prædito fugunt, quâ suctione, molestia illa, quæ fames vocatur, inducitur: Nam stante hâc hypothesi multa sequentur absurdâ: *Primò* sanguinei, & plethorici ob abundantem in corpore sanguinem, uti & porci, aliaquè animalia saginata, ob repletas partes nunquam effurirent. *Secunâ* è diametro hectici, phthisici, atrophiâ, alijsquè morbis chronicis correpti laborarent semper fame canina ob partes inanitas. *Tertiò* appetitus multùm deberet intendi in ijs, qui per venæ sectionem, hæmorrhagiam narium, sputum, & vomitum cruentum, dysenteriam, Immodica menstrua, multùm sanguinis evacuarunt, & tam partes, quâm venas exhauserunt: Quæ tamen omnia experientiæ quotidianæ manifestissimè contrariantur.

Curam quòd attinet, cum appetitus iste vegetus non sit morbosum symptomâ, sed robustæ naturæ index, nullâ hic opus est, nisi quòd alimentorum quantitas modicè subtrahatur. Si verò adeò intenderetur, ut inter actiones depravatas numerari posset adhibeantur

beantur ea, quæ fermenti acidi energiam infringunt, & corrigunt.

Spasmus pedum raro hic accidit, ego unicâ vice in quâdam ægra has acidulas bibente observavi, qui per se rursum disparuit, si tamen urgeret malum, applicari posset ipsum scaturiginis lumen, & medicamenta alia à practicis petenda.

CAPUT XLV.

Qualis diæta tempore curæ instituenda, & in specie qualis aër sit convenientissimus?

 Uanti momenti diæta, seu legitimus sex rerum non naturalium usus sit, apud Galenum patet. 3. de locis affectis cap. 2. ubi expressè asserit: *Plures curari victu, quam medicamentis.* Idem confirmat Mercurialis, dum lib. 4. consiliorum pag. 148. refert: *Nullum quantumvis egregium remedij genus ulla ægritudines superare posse, nisi ea victus ratio illi conjungatur, quæ apta sit facultate sua affectuum vires perfringere:* Et hæc non sine ratione dicuntur: Nam quid juvant acidulæ? quamvis manè per vitra veneremur Thetin,

Thetin , à meridie verò Baccho ad crapulam usquè sacrificemus per pocula? quid inquam , juvat ? etsi jam per hilares distractiones , & animi tranquilitates repræsentemus Charites , & Joves , postmodùm autem per varias affectuum metamorphoses transmigremus in furiosos Martes , & mœstissimos Saturnos ? hinc non mirum , quòd saluberrimæ alioquin nostræ Roitschenses lymphæ , quæ tot fuerunt saluti , prostituantur posteà , & ob tot , tantosquè in cibo , & potu , motu , ira &c. commis-
fos errores præstare nequeat illud , quod exoptatum fuerat .

Ne autem hoc eveniat , *Hippocratem* ante omnia incitari oportet , *qui 1. aphor. sect. 1.* exteriora etiam ad ritè peragendam curam , sub quibus diæta etiam continetur , summopere requirit , & consideranda proponit . Per diætam autem , non solùm intelligitur cibus , & potus , uti nonnulli sibi persuadent , seu sex rerum non evitabilium , seu medicè loquendo , non naturalium , legitimus usus , quæ si observantur , uti lex Me-
dica præscribit , sanitas tanquam optimum humanæ vitæ condimentum retinetur ,

netur, admittitur verò, si eæ præ-
posterè, & temperamentis, ac ætati-
bus non convenienter usurpantur. Sunt
autem sex videlicet; *Aér*: *Cibus* & *potus*:
somnus, & *vigilia*: *Motus*, & *quies*: *Excreta*,
& *retenta*: *Animi pathemata*; De quarum
legitimo utendi modo in cura acidula-
rum, paucula in specie dicentur.

Aërem itaque quod attinet, notum
jam est omnibus, corpora nostra varijs
alterationibus propter illum obijci, nam
in primis ad pulmones spirando attrahit,
ubi si sit varijs impuritatibus in-
quinatus, non solùm pectori, sed om-
nibus partibus noxam infert; Prætereà
universam corporis peripheriam ambit,
& poros cutis, si calore excedat, ni-
mis aperit, spiritusquè resolvit; Con-
stipat verò, si in frigore excessus, unde
à fuliginibus in corpore retentis mille
mala eveniunt.

Quæritur nunc qualis aér nostris
potatoribus in hâc acidularum curâ sit
saluberrimus? R. Ille qui est luminosus,
ac clarus, vivificantibus solis radijs
temperatus, ac ab omni fætore, inqui-
namento, vaporibusquè noxijs expur-
gatus. Quare matutino tempore unâ,
vel

vel alterâ post solis ortum horâ, dum
 potus incipitur, moderata per prata,
 & sylvulas instituatur ambulatio, quo
 tempore infima aëris regio nequè frigo-
 re excedit, uti per noctem, nequè æstu,
 uti à meridie, sed est temperatissima;
 Si verò ob tempora nebulosa, pluviosa,
 & aquilonia variæ fiant mutationes,
 potatio tamen proptereà non interrum-
 penda est, sed eligenda sunt cubicula
 alta non procul à fonte pro hospitibus
 ædificata, in quibus potus continuetur,
 & aër crassus, impurus, varijsquè ato-
 mis imprægnatus, arte per suffitum, &
 balsamica volatilia corrigatur, & altere-
 tur. Fugiendus præterea est frigidus,
 qui poros corporis adstringit, à quibus
 retentæ exhalationes, & fuligines in-
 ducunt febres, & alia symptomata:
 Patet hoc clarè in castris, ubi longè
 plures febricitare solent tempore au-
 tumnali, quàm in ipsis canicularibus,
 quod ego, non solum à tot in cibo, &
 potu commissis militum erroribus, sed
 potius ab autumnali frigore, sudorem
 & insensibilem transpirationem tunc
 temporis impediente, ac postmodum
 febres

febres generante cum Galeno lib. de different. febrium cap. 4. provenire credidi.

CAPUT XLVI.

De Alimentis tempore potationis convenientibus.

QUOD animalia tam sylvestria, quam domestica, tam natatoria, quam volatilia, Imò viventia pleraquè, & vegetabilia toties sepeliantur in hominum ventriculis, tanquam vivis tumulis, notum jam est omnibus; Hinc nemo mirabitur, quòd extanta cadaverum foragine, plures in homine, quam in brutis postmodùm exoriantur humorum putredines, morborum genera, languorum myriades, Imò mors ipsa tandem, quia mortibus vivimus, provocetur, & acceleretur; Adeoquè verissimum manet illud. *Ubi sunt multi cibi, multi morbi etiam cumulantur ibi;* Quod manifestè in protoparentibus nostris apparuit, qui dum lacticinijs, & paucissimis uterentur cibis, paucissimis etiam corripiebantur morbis & ad venerabilem perveniebant canitiem, & annorum seriem: Sed ut ad acidulas no-

Q

stras,

stras, de quibus digressus fueram; Redeām: Quæritur nunc, quibus cibis per hanc aquarum curam utendum sit? R. utantur hydropotæ nostri, cibis consuetis, probi tamen succi, qui facile digeruntur, & per venas lacteas distribuntur: Hoc est, ut loquuntur Medici: *euchymis*, & *eupeptis*.

Condimenta ē multis aromatibus, & pinguedinibus composita, plerique rejciunt, præsertim illa, quæ novo semper modo gulæ lenocinantur, appetitumquè excitando, eò famem provehunt, ut aptam corpori victus rationem sæpè duplo, & triplo excedant.

Ut autem in specie aliquid dicatur, imprimis convenit panis triticeus, ritè fermentatus, ac semine fæniculi coriandri, carvi aspersus: Qui huic non est assuetus, filigineum substituat, non tamen nimis recenter pistum, quia flatus, nec nimis antiquum, quia obstrunctiones potest inducere. Prætereà urgente fame, quæ ut plurimùm accedit, nullus se pane repleat, nam teste Hippocrate: *Omnis repletio mala, panis verò pessima*.

Ratione carnis eligatur vitulina,
ver-

vervecina non adeò pinguis , agnina,
Item bubula mediæ tamen ætatis , quæ
in prandio plerumquè ciborum peragit
prologum ; Nequè in hisce terris cum
*Galen*o timendum est , quòd sanguinem
crassiorem , & humores melancholicos
progeneret , alias omnes Germani quo-
tidie eam comedentes fierent Melan-
cholici , quod tamen experientiæ con-
trariatur . Inter feras conductit capreo-
lus , & lepus debitæ ætatis , hinc *Mar-
tialis* :

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Inter volatilia convenientiunt Gallinæ ,
quæ facilè in sanguinem vertuntur , &
parum excrementi habent , unde non-
nulli statuunt , eas frequentiori efū as-
sumptas , in genij acumen , ampliorem
spirituum copiam , & seminis ubertatem
parere : Utrum autem sæpius comedæ
podagram excitare valeant , prout vul-
gus existimat , pro somnio habet *Hen-
ricus Mundius , Medicus Oxoniensis celeberrimus*
in sua Bioxphetologia. p. m. 227. Gallinas
longè superant capones , maximè jux-
ta styrorum methodum saginati , qui ob-

remotum veneris usum gratioris, & salubrioris carnis sunt.

Turtures, & palumbes, etsi carnem habeant siccām, tamen sumi possunt, dummodo id non fiat primo à morte die, sed suspendantur interim mortuæ ad tempus, ut duriores earum carnes fiant molliores, & fricabiles, præstentquè laudabile alimentum, quod ijs assignavit Galenus cap. 7. lib. de attenuante diæta. Imò hoc Galeni monitum non solùm de avibus sylvestribus, sed etiam de domesticis intelligendum est, siquidem manifesta differentia inter caponem recenter mactatum, & inter alium, aliquot diebus aëri expositum in carnis mollitie & fricabilitate deprehenditur.

Huc etiam ad cibos nobiles referuntur pulli gallinarum, & Galli Indici, qui dant laudabile corpori nutrimentum, & sanguinem minimè viscosum generant.

Bhasianus etsi Galeno lib. 3. de alimento facultatibus cap. 18. mirè laudetur, tamen est rara avis in terris nostris Roitschensibus, pro quo commode substituuntur ficedulæ, alaudæ, & attagenes copiose ex vicina Croatia allati.

Perdicum

Perdicum caro non solum eucymum alimentum, sed etiam in corrigen-
dis corporis humoribus nobile medicamen-
tum à multis dicitur, cuius solo
esu morbum gallicum curari posse, re-
fert Cardanus lib. 3. de sanitate tuenda.

Turdi quorum caro undique ab
odore, & sale volatili Juniperi perfun-
ditur, non sunt tam duræ digestionis,
ut à nonnullis creditur; Sat copiose
hic reperiuntur, qui aliorum eduliorum
peregrinorum defectum sæpe supplere
dabant.

Econtrà vitentur omnia alimenta
dura, & difficilis concoctionis v. g. ca-
ro cervina, hircina, bubula antiqua,
aprina, porcina, lardum, porcelli, om-
nia infumata, & salsa, pernæ, farcimina,
anseres, anates, exceptis sylvestri-
bus; Item animalium pedes, renes, he-
par, cerebrum &c.

Esurialibus diebus prohibentur om-
nes pisces infumati, & salsi, uti etiam
qui ex aquis palustribus, stagnantibus,
& lutosis capiuntur; Econtra conce-
duntur saxatiles, & fluviatiles, ubi trut-
ta in his locis facile obtinet principa-
tum, cuius caro valde friabilis, lento-

ris, & pinguendinis expers, ac pro sa-
luberrimo habetur alimento: Idem de
salmone earundem ferè qualitatum di-
cendum est. Lucius mediae ætatis non
magnis excrementis scatet, uti & per-
ca, quæ apud *Ausonium* piscis dicitur
laudatissimus: Huc etiam refertur trut-
ta alba copiosè in Dravo capta, lau-
dabile alimentum suppeditans. Carpio-
num, & barbonum præsertim in aqua
fluviali captorum non adeò timenda est
mucositas, dummodo in aceto coquan-
tur, & aromatibus ad amussim præparen-
tur. Præterea conceduntur mustela flu-
viatilis, seu gobius, sturio, fundulus, &
huso subinde Græcij reperibilis, qui om-
nes tam sanitati, quam gustibus inservi-
unt.

Fugiatur tinca ab aliquibus merula
fluviatilis dicta ob lutositatem anguilla
ob pinguedinem, & viscositatem: Sal-
pa, & passer marinus ob duritiem: &
halec, cæteraquæ marina salita ob sal-
fedinem.

Interim tamen hoc universaliter de
piscibus notandum est, eorum naturam,
si nimis humida, frigida, & viscida est,
arte posse corrigi, si videlicet in craticula
assentur,

assentur; vel in vino, & acetō cōquātur, alijsquē aromatibus, & herbis calidis v.g. Roremarinō, thymo, hyssopo, succo, & corticibus citri, limoniorum, aurantiōrum præparentur, & corrigan-tūr.

Inter legumina vitentur cicera, & fabæ, quæ difficulter concoquuntur, & cacochymicum pravumquē sanguinem generant; Item lentes, pīsa, & phaseoli, quæ nimis sunt flatulenta; Conceditur autem ptisana, vel hordeum ipsum in substantia, attamen probè decorticatum, & cum brodio carnis spirituoso præparatum: Locò ejus etiam substitui potest tragopyrum, seu frumentum Sacracen-
cum, licet illud à *Matthiolo in suo herbario* fol. 115. arguatur, quod ventriculum fla-tibus distentat, nihilominus tamen ab *Henrico Mundio in sua Biophytologia* pag. 116. dicitur facilis digestionis, & boni, quan-quam pauci alimenti; Flatulentiam ejus quod attinet, facile ea corrigitur per legitimam decorticationem, & bonorum juscotorum, ac embammatum admixtio-nem, unde innoxium evadit alimen-tum, & more Styriæ cum ptisana alter-

natum sumptum, agit ordinarium fereu-
lorum epilogum.

Inter hortensia permittitur petroseli-
num, endivia, cerefolium, acetosa hi-
spanica, si cum carnibus coquantur, &
juscula ijsdem alterentur. Item turiones
asparagi in maxima copia hic crescentes,
qui obstrunctiones referant, vias præser-
tim urinarias dilatant, ac postmodùm
calculosam saburram evacuant; Nequè
hic valet *Helmontij* assertum, qui in *tracta-*
tu de lithiasi cap. 7. statuit, ab asparago
potius putrilaginem urinæ, & causam
materialem calculi augeri, quām tolli;
Experientia enim, tanquam optima
rerum Magistra docet contrarium.

Adhibetur præterea cinara, seu car-
duus esculentus, vulgò artichoca, ma-
ximè ejus pars alba, quæ pappo subjacet,
quæ præterquam, quod gustui sit grati-
fima obstrunctiones insuper solvit, & urin-
am promovet. Similiter spinachia purgan-
tibus usitatissimus cibus subinde hic lo-
cum habet, quæ alvum laxat, humores
acres contemperat, & evaçuat.

Lactuca à lactis soporiferi copia
etymologiam, & ab *Augusti Imperatoris*
convalescentia olim celebritatem adi-
piscens,

piscens, ordinario modo cum aceto, & oleo, vel lardo præparata, in hâc curâ, uti in alijs alvi purgationibus meritò prohibetur, ne varia per eam symptomata excitentur, quòd non adeò pridem duo robustissimi homines, manè medicamenta cathartica, & vesperi lactucam sumentes cum magno damno, & colica atrocissima experti sunt: Item cucumeres maximè more lactucæ cum oleo, & aceto præparati: Similiter melones, quorum pulpa malum suppeditat nutrimentum, & facilè in ventriculo corrumpitur, unde febres, tormina diarhææ, dysenteriæ, & alia mala eveniunt, testanturquè historici, plurimos Magnates ab imprudenti eorum usu interijsse.

Brassica capitata, & crispa exiguum etiam laudem apud Authores meretur, quia ventriculum gravat oculos hebetat, & somnia turbulenta procreat; Verum hoc intelligendum est de Brassica cruda, & simplici, non verò de muriata, & acida, hæc enim tam nociva non est, uti plebs forsan sibi imaginatur, Imò constat, quod in paucâ quantitate sumptâ ventriculum potius sua aciditate roboret, quam destruat; observavi hoc ipsem et

in quodam febricitante Viennæ, cui ob
crebriores institutas purgationes fermentum ventriculi totaliter abstersum, &
comedendi appetitus, cessante jam febre, adeò prostratus fuerat, ut omnia
edulia summopere horreret, solummodo brassicam hanc muriatam appetens, quā
tandem modicè comestā, & à Medico
concessā, non solum prostratam ciborum appetentiam, sed ex integro denuo
suam recuperavit valetudinem. Similiter
recommendatur à Friderico Hoffmanno
in sua Clavi pharmaceutica pag. 425. muria illa
acida ad calorem febrilem extinguendum,
si cum succo citri adhuc magis alterata
introsomitur; Plura Brassicæ encomia ex
Galen lib. 3. de simp. Medic. facult. cap. 14.
Diosecoride lib. 2. & Plinio lib. 20. cap. 9. alijs-
què veteribus petenda sunt. Imò apud
Joës in tanta fuit aestimatione, ut Jura-
menta per crambem facta à nullo essent
violanda.

Caulis floridus, nostratibus corrup-
to Idiomate: *Carviol*, uti & caulirapūm,
sicum pullis gallinaceis, & carne vitu-
lina, more nostro coquantur, tutò hy-
dropotis in debitâ quantitate conceden-
da sunt.

Rapæ etsi thoracem leniant , acri-
moniam humorum corrigant & quarta-
næ prosint , hic tamen non facilè admit-
tuntur , ne intestina flatibus nimium per-
turbentur juxta illud scholæ Salernitanæ:

*Rapa juvat stomachum, novit producere ventum,
Provocat urinam, præstatque in dente ruinam,
Si male cocta datur, tibi torsio sic generatur.*

Raphanus olim tanti æstimatus fuit, ut in Apollinis Delphici templo dicaretur ex auro , quemadmodùm beta ex argento , & rapa ex plumbo , nihilominus tamen , dum crudus ructuum copiam , & flatuum gignit , ut plurimum in hâc cura exulat . Similiter allium , portentosum olim Ægyptiorum Numen , & hodie rusticorum theriaca , uti & cæpa , porrum , sinapi raphanus marinus , nasturtium &c. quæ non exiguis in urina cienda , tartaro attenuando , & præparando virtutibus pollut , hic non nisi assuetis conceduntur , ne billis , acresquè humores propter nimiam calefactionem exasperentur , ac acidularum operatio per motum contrarium perturbetur .

Vitanda insuper sunt poma , pyra , cerasa , mala persica , nuces juglandes , avellanæ ,

avellanæ, castaneæ, & reliqua Pomomæ munera, maximè si adhuc cruda sint, & culinam non experta; Hæc quæ mala inducant, testatur Henricus ab Heer *observatione* 23. pag. 273. ubi ità loquitur: *Elapsa aestate rusticus quidam longam hemorrhagiam narium, hepaticumque fluxum passus nullo ordine acidulas bibebat, incurius, & horarum, & tempestatum: Imò inter ipsas aquas dum alij aniso, aut tabellis calorem ventriculo afflaturis fibi consulunt, crudopoma, pyraquè sylvestria voravit, ridens vel serio, vel inter cachinnos meliora monentes: Vix mensis abiit, cum alterum crurum à gangrena sideratum amputavit chirurgus. Secundo mense eadem gangrena oppositi lateris brachium invasit: De quo amputando dum consilia ineuntur, miser egit animam, seroquè didicit. Spadanas, & alias aquas medicatas non temerè, sed cum consilio periti Medici bibendas.* Hæc ille.

Pessima nonnullorum hic consuetudo est, quod præfati fructus in fine mensæ, ut plurimum apponantur, quorum cruditates ad putredinem alioquin satis dispositæ, commiscentur cum humoribus biliosis, & pituitosis, in corpore per acidulas jam antè exagitatis, unde turbatur ventriculi coctio, acrimonia humorum exaltatur, & molestissima sæpe

pè symptomata eveniunt. Si verò horum fructuum cruditates per coctionem culinarem aliquantum demptæ fuerint, possunt interdum pro temperamenti varietate concedi, quemadmodum pruna, & poma cocta, in plurimis ægris tempore purgationis cum optimo effectu conceduntur à practicis.

Et hæc de alimentis pro sanis, & præservationis gratiâ solummodo acidulas bibentibus sufficient. In cura enim aliter practicandum, & diæta cuvis morbo correspondens ordinanda est.

Quæritur nunc; Quando, & quantum in hac cura comedendum? R. horam prandij olim à Diogene assignatam fuisse Divitibus, cùm vellent, pauperibus verò cùm aliquid haberent; Medicè loquendo; Tempus sumendorum ciborum, optimum censetur, dum assumpta alimenta perfectè fuerint concocta, chylus distributus, & potæ acidulæ è corpore jam egressæ. Cavendum itaqùe est, ne novi cibi prioribus nondum digestis ingerantur, aliàs duæ commessationes in ventriculo digladiabuntur, bellum intestinum in intestinis exorietur, & pessimæ fient in cæteris visceribus tragædiæ, juxta

juxta receptam illam scholasticorum maximam : *Vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda.*

Tempus autem, quo ciborum concoctio peragitur, variat tam quò ad individua, quam species animalium: In brutis nonnullis citius peragitur, quam in hominibus: Sic Clarissimus *Meibomius* dedit juveni luppo lienem bovis, post tres autem horas anatomicè ventre aper-to, nihil lienis, nequè in ventriculo, nequè in intestinis invenit, sed fuit me-rus chylus. *Cornelius Consentinus prægymnas: 6. pag. 228.* vidit in ave amphibia anguillæ partem in ventriculo jam consumptam, extrâ verò adhuc se moventem. *Walæus* ex plurimis canibus anatomicè dissectis expertus est, aliqua per horam, uti lac & juscula; Alia per plures, uti carnes: Alia demum per integrum, & plures dies, uti ossa in ventriculo hærere, & perfectè posse excoqui. Verùm in ven-triculo humano, cùm vivorum anatomia sit abominabilis, existimo nihil determinatè constituendum, sed semper varian-te fermento, ventriculi temperie, ætate, sexu, regione, cibo, & potu, tempus quoquè esse variabile. Interim tamen septem

septem horæ ordinariò à Medicis dicuntur sufficere, quibus chylus non solum perficitur, sed etiam distribuitur, ac per venas lacteas, ductumquè thoracicum ad massam sanguineam advehitur ubi candorem suum mox cum purpura permutat, & sanguinis characterem nanciscitur. Nihilominus nosco hic dominum Franciscum Luzendorffer, Illustrissimi Domini Comitis Kisl Ministrum, cui sanguis, quotiescunquè extrahitur, liquori lacteo commixtus est; Vidi ipsem elapso vere dum me suadente maja-lem venæ sectionem, in pauca tamen quantitate institueret, ubi portiones duas sanguinis, chyli verò, seu lactei liquoris unam deprehendebam: Serum etiam, quod in alijs solet esse aqueum, hic erat lacteum, non tamen dulci, & lacteo sapore, sed salso, prout ipse gustavi, præditum, nequè postmodum coagulabatur. Crusta superior, & superficies candidissimum etiam repræsentabat colorem, & ob pituitam admixtam, aliqualem viscositatem: Imo guttulæ aliquot, quæ ex vena ante admotionem vitri in terram fluxerunt, post minutas aliquot, adeò evaserunt candidæ,

ut

ut unusquisque habuisset magis pro effuso
 lacte, quam extracto sanguine. Casus
 iste utpote rarissimus varias, ac miras
 apud nonnullos produxit opiniones: Fa-
 teor equidem, me subinde, si venæ sectio
 tempore chyli distributionis instituta
 fuerit, aliquid albedinis deprehendisse;
 Idem etiam observavi in quodam cane,
 cui lac ante fata anatomica præbuimus,
 & postmodum eum aperuimus, sangu-
 nemque ex venis extraximus: Verum
 ubique chylus vix fuit observabilis, & in
 paucissima quantitate. Præterea venæ
 sectio ista non fuit instituta tempore chy-
 li distributionis, jussi enim studio Do-
 minum patientem cænam horâ sextâ su-
 mere, à quo tempore nihil cibi & potûs
 sumpsit usque ad missionem sanguinis,
 quæ horâ octavâ alterius diei fuit celeb-
 rata, unde interstitium horarum qua-
 tuordecim sufficiens fuisset tempus, quo
 chylosus iste succus in rubicundum po-
 tuisset mutari sanguinem. Imò retulit
 mihi ipse æger, sanguinem jam ab octo
 annis, sive per eucurbitulas scarificatas
 sive sponte per hæmorrhagiam narium
 profluentem semper istam habere sub-
 stantiam lacteam. Ego salvo aliorum
 Judicio,

Judicio, & existimo hoc provenire ob viscerum chylum non bene depurantium, vel eundem sanguini assimilare haud valentium vitio, prout olim in *disputatione mea in augurali de Remedio missionis sanguinis* cap. 8. pag. 65. fusiūs declaravi, testatur què cacockymia præsens, ob varios in sex rebus non naturalibus à cunis usque commissos errores gravissimos, in hectiam, & atrophiam jam jam vergens. In qua re autem præfatum vitium consistat, & quomodo fermentatio viscerum sanguinem generantium, & depurantium destruatur, difficile est juxta veterum Recentiorumquè fundamenta omnibus satisfacere: Ego aliorum opiniones hâc super re expectans, ad acidulas meas redeo, ubi, uti suprà dictum.

Quæritur, quantum in hâc Curâ comedendum sit? R. Me Exoptare, ut unusquisquè aureis, & maximis characteribus semper illud in convivijs scriptum haberet præ oculis.

Qui modicus cibi, est Medicus sibi.

Contingit enim in hâc potatione, quòd ob insignem fermenti exaltationem ab acidulis inductam, fames valde inten-

R

datur,

datur, quare si juxta appetitum concedantur alimenta, natura in eorum digestione impedita, non erit sufficiens, humores cacochymicos ex corpore expellere, ex qua debilitate, & cruditatibus accumulatis varia exorientur symptomata. Et hoc non solùm in hâc curâ, sed ubique intelligendum, & ciborum quantitas ritè naturæ commensuranda est; tantum enim cibi, & potûs sumendum, ut reficiantur vires, non autem supprimantur; verbo: omnibus sequens maneat altâ mente reposum.

Parcito sàpè cibis, & sic annosior ibis.

CAPUT XLVII.

Qualis potus in hâc acidularum curâ concedendus? & utrûm acidulae vino miscenda sint?

Quanto valetudinis vigore, & virium omnium allacritate abundet microcosmi respublica, si potus tam quantitatè, quam qualitatè, temperamento cuivis, & ætati correspondeat! omnibus jam notum est, hinc nihil novi postmodum evenit, si obvarios

varios in eo commisso errores omnia viscera languescant, & plura mala, quam equus Trojanus proinde progenerent. Nullo hic opus est testimonio, sed unusquisque verissimum esse fatebitur, si febres, phthises, nephritides, colicas, pleuritides, peripneumonias, diarrhaeas, dysenterias, arthritides, hydropses, icteros, affectiones hypochondriacas, apoplexias, vertigines, varios dolores, inflammationes, ulcera, & sexcenta alia, rigoroso examine apud ægros perscrutatus fuerit, ubi pro certo deprehendet, nullam frequentiorem morborum præfatorum causam esse, quam potūs illegitima assumptionem.

Quæritur jam utrum vinum in hâc acidularum curâ concedendum sit? R. Affirmative dummodò potatores ei aliquin sint assueti, nequè aliud ratione temperamenti, & morbi se se insinuet obstaculum: Vinum enim, quod Theophrasto Paracelso: sanguis terræ: Quercetano: omnium vegetabilium princeps; Alijsquè: aurum vegetabile potabile, & nectar vegetabilium dicitur, ventriculum ab actuali acidularum frigore aliqualiter debilitatum refo-

R. 2 cil-
-quit

eillat; chylosin promovet, & totum cor-
pus vegetat.

Fugienda tamen hic sunt vina valde
generosa, & fortia, uti Luttenbergensia
nostra, quae per sua salia volatilia, qui-
bus copiosè scatent, humores acres jam
prius acidulis exagitatos; adhuc magis
exaltant à quibus dolor capitis, & alia
mala facile possent trahere originem.
Prætereà fugiatur Vinum turbidum, nimis
dulce, vel acidum. Item quod crassitie
peccat, ac ductile pendulumquè dicitur:
morbus iste vinum nostrum nonnunquam
invadit, denotatquè illud fuisse valde
phlegmaticum, & minus generosum, vel
justo tempore non transvasatum, vel in
cellis calidioribus asservatum, prouti re-
fert Clarissimus *Portzius in sua anatomia chy-
mica Vini Rhenani cap. 5. pag. 42.* Aliqui sua-
dere volunt Roitschense vinum, verum
cum multum tartari, & cruditatum ha-
beat, reliquisque sit magis acidum, præ-
stat paulò nobilius substituere videlicet,
vinum COS, id est: colore, odore, &
sapore validum, quale datur nostrum pe-
nes Marpurgum Pickerianum, & Lem-
bacense, quod est Diureticum, & non
retinetur in corpore, uti alia hujus ter-
rito-

Ritofijq Plura qui de vino desiderat, legat tractatum Clarissimi Sachsij à Lewenstein de vite vinifera, præsatam anatomiam Portzy, &c. Si verò ob febres, aliosquè affectus vinum non esset admittendum, bibatur aqua cocta, ex speciebus pro morbi varietate etiam variabilibus.

Cerevisia maximè nostra Marpurgensis hic & nunc non convenit, quæ, dum fermentatione non satis depuratur, facile posset concoctionem turbare, & in intestinis murmura, borborygmos, distensiones, aliaquæ flatulenta meteora, & detonationes microcosmi excitare, tandemquè varia inducere symptomata. Si tamen daretur cerevisia defæcatior, & potatores à juventute essent assueti, tum consuetudini, utpote alteri naturæ aliquid concedendum est, quod jam dum etiam videtur comprobâsse Hippocrates, qui sect. 2. aphor. 38. Paulò deteriore, sed suaviorem cibum, & potum, meliori quidem, sed ingrato præferendum esse judicat.

Similiter fugienda sunt: mustum, & hydromel, quia flatus, & alia incommoda progenerant, Item lac, quod facile coagulatur, quod patet, si acidulæ lacti

commisceantur, ubi illud paulo post erit
modice in grumos conversum.

Cæterum crapula toto potationis
tempore ante omnia vitanda est, alias
cura non solum non frustra instituetur,
sed etiam graviores morbos inducit;
Imò vérificari posset illud, quod *Plinius*
refert, de muribus Lybicis, qui si bibunt,
moriuntur. Multi enim hominum apud
nos inveniuntur, qui vitam à vite deri-
vandam existimantes, manè quidem jux-
ta Medicinæ leges acidulas cum ephoria
epotant, à meridie verò (quod aliquo-
ties ipse met vidi) laxatis gulæ frenis adeò
indulgent Baccho, ut saluberrimæ alio-
quin istæ aquæ defraudentur exoptato
suo effectu, malum exasperetur, & tan-
dém susquè de quæ vertantur omnia; Qua-
re sæpè sæpiùs recordari oportet sapien-
tissimi illius admoniti: *ut multum bibas, bibe*
parum, sic diu, & multum bipes. Certum e-
nim est, quod vinum, etsi sit summum
tristitiae anodynum, & insigne melancho-
liæ alexipharmacum, nihilominus tamen
immoderatè sumptum, subinde fungatur,
officio Janitoris, portas cerebri, totius-
quæ corporis aperientis, per quas ratio
exit,

exit, & mille econtrà morbi solent ingredi.

Nequè obstat. quòd *Rhases lib. 4.* & reliqui Arabes asserant, unam, aut duas ebrietates conferre: quibus etiam videatur consentire *Celsus ajens*: *hominem sanum nullam vivendi rationem servare oportere*, sed modò plus, quām decet indulgere, modò abstinere, modò vigilare, modò dormire, modò domi, modò foris esse debere. Rationibus hanc ut stabiliant sententiam crapularum isti Patroni, dicunt, vinum summam, velocemque penetrandi vim, virtutemque habere diureticam, vitiosos in corpore humores, non modò per urinam, sed & sudorem, evacuare, præterea ejus ebrietate commodissimè excitatur vomitus, qui quantum in morbis chronicis prosit, omnibus notum est. Imò adducunt *Aphorism. 50.* *sect. 2. Hippocratis*, in quo ad insueta aliquando transire conceditur. Verùm quis est, qui harum rationum levitatem non videat? non enim est faciendum malum, ut inde eveniat bonum; præterea, si non tutiora, & meliora vomitoria, sudorifera, & diuretica medicamenta nobis subministraret Medicina, profectò non parùm hominis periclitaretur sanitas.

dum itaque est pro Galeno, & Hippocrate, cæterisque Medicinæ Proceribus, qui nifil magis ebrietate damnant, & unice passim inculcant, ex nimio vini potu frigidos & longos fieri morbos.

Famosa hic resultat quæstio, utrum acidulæ sint vino admiscendæ, & bibendæ. R. Verum quidem esse, quod hæc Bacchi Thetidisque sponsalia tam oratione acceptissimæ acrimoniam, quam oculis ratione lusus hydraulici, vaporum quæ extra vitra prosilientium videantur gratissima; Ego saepius diversa vina tam exotica, quam nostratia, antiqua & horna acidulis nostris in distinctis vitris unâ vice admiscui, ut experirer, qualis colorum cæterorumq; accidentium sequetur metamorphosis; Ubi deprehendi, quod acidulæ musto admixtae præ cæteris vini speciebus, maximas fuscitaverint effervescentias, plurimumquæ vaporum, & strepitū ediderint, quia fermentabiles, & latentes musti particulæ per acidulas fuerunt excitatae, quemadmodum cerevisia recenter cocta redigitur in actum fermentativum, si parum de floribus ex alia cerevisia fuerit additum: Mustum tandem peractâ depurativâ hac

fermentatione, & tartaro gradus fundum
præcipitato evasit clarum, cum ante alii
fuerit turbidum.

Si vino cocto subdulci admisceantur,
etiam satis magna exoritur effervescentia,
diutissimeque perseverans, ac spu-
mam copiosam excitans.

Vinum Hispanicum minimam suppe-
ditavit effervescentiam, & globuli, &
bullulae a fundo ad superficiem in linea
recta instar Margaritarum ascendentes,
& ibidem evanescentes fuerunt minores,
quam in vinis nostratis, quorum spiri-
tus crassioris sunt substantiae. Color
nunquam ad nigredinem pergebat.

Vinale agonizantia, & in vappam
jam jam migrantia non multum ebulliunt
ob spiritus jam egressos. Si aliquam diu
acidulae cum vinis asserventur, ut pluri-
mum obscurantur: Vidi ego, quod
Pickerianum citius, Saverbergense vero,
paule intensius obfuscaretur. Illud vi-
num autem, quod ad acetum jam ver-
git, tam quo ad nigredinem, quam quo
ad effervescentiam parum confert.

Præmissis itaque hisce vini cum aci-
dulis mutationibus, R. ad quæstionem
suprà propositam, tempus consideran-

dum esse dupliciter, videlicet in vel ex tra acidularum curam: In ipsa cura, etsi multi contrarium suadeant, subinde licet acidulas vino commixtas apud prandium, & etiam extra illud porrigere, maximè si temperamentum sit calidum, sitis urgeat, & alia caloris adsint indicia, nam per eas vini energia modicè corrigitur potus gustui redditur gratior, & sitis extinguitur, quæ mero vino, juxta appetitum ebibito adhuc magis intendetur, & augeretur.

